

x  
m  
t.

00  
PÚBLICA

27

4  
-----  
7827



3

Inf. 2. St. 80 Cap. 3

T. 104339

C. 1130290


R-341758

2364





Multi eorum, qui fuerant curiosa  
sectati, contulerunt Libros, et  
combuserunt coram omnibus.  
*Act. Cap. XIX. V. 19*



MULTI...  
...  
...  
...

I N D E X  
L I B R O R U M  
P R O H I B I T O R U M


*SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI*

B E N E D I C T I X I V .

P O N T I F I C I S M A X I M I

J U S S U

Recognitus, atque editus.




R O M Æ M . D C C . L V I I I .

Ex Typographia Rev. Camerae Apostolicae.

CUM SUMMI PONTIFICIS PRIVILEGIO.

*Se puso en esta libreria de Yebes, siendo*

*Guardián de Pedro de Consuegra, año 1770.*





# BENEDICTUS

P A P A XIV.

*Ad perpetuam rei memoriam.*



UÆ ad Catholicæ Religionis puritatem integerrime tuendam, & castos mores a contagione caute servandos maxime pertinent, cum semper ab Apostolica hac sancta Sede provide, sapienterque constituta, & sanctissime custodita sint; tum illud in primis laudabili Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum zelo, ac vigilantia provisum, & cautum fuit, ne ullum propter pravos, exitiososque Libros, quibus Fides, & pietas labefactari plerumque solent, Christifidelium animabus præjudicium, ac detrimentum irrogaretur. Quamobrem non solum hujusmodi Libros improbare, & proscribere consueverunt, sed ne vetitæ quoque eorum lectionis oblivio ulla unquam subreperet, aut ignorantia obtenderetur, publicis tabulis, atque Catalogis eosdem perniciosos Libros describi, & consignari voluerunt; quo sane fieret, ut, palam denunciata atque ocu-

lis subiecta eorum pravitate, ab omnium manibus facilius removerentur. Crescente autem in dies exitiosa ipsorum segete, & copia, renovari identidem, atque augeri oportuit Indices ipsos, quorum primum quidem publica Ecclesiæ auctoritate a sapientissimis Tridentinæ Synodi Patribus dispositum fel. rec. Pius PP. IV. Prædecessor noster optimis regulis communitum perfecit, atque Apostolica auctoritate vulgavit: deinde vero Clemens PP. VIII. itidem prædecessor noster Librorum numero auctum, atque nonnullis in antedictas Regulas observationibus illustratum nova luce donavit. Alexander denique PP. VII. pariter prædecessor noster diversa a prioribus methodo ordinatum, atque in varias partes tributum huiusmodi Indicem suo nomine edi voluit, ac promulgari. Etsi autem pro temporum conditione satis diligenter, atque utiliter in iis faciendis laboratum sit, diuturna tamen observatione, atque experimento compertum est, memoratos Indices neque satis correctos, neque satis usui accommodatos prodiisse: quapropter e publica utilitate fore visum est, si novus Index methodo

aprio-

aptiore digestus, atque a mendis, erratisque pluribus, quæ in priores irreperant, emendatus construeretur. Rem hanc omni procul dubio laboris, & diligentiaë plenam jam tum animo præconceperamus, cum certas Regulas in examine, & proscriptione Librorum servandas tradidimus in Constitutione nostra, quæ incipit: *Sollicita, ac provida*, VII. Id. Jul. Anno Incarn. Dom. MDCCLIII. Pontificatus nostri AN. XIII. data. Hujusmodi subinde negotium mature jam discussum Ven. Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationi Indicis Librorum prohibitorum præpositis dirigendum, promovendumque commisimus, qui pro injuncti sibi muneris ratione, zelo, ac solertia, adhibitis etiam in consultationem & opus doctis, ac diligentibus Viris, omnia pro votis sedulo, accurateque perfecerunt. Absolutum itaque juxta mentem nostram laudatum Indicem, & ab iisdem Cardinalibus revisum, atque recognitum Typis Camerae nostræ Apostolicæ edi volumus, ipsumque præsentibus Literis nostris tanquam expresse insertum habentes, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & con-

firmamus, atque ab omnibus, & singulis personis, ubicumque locorum existentibus, inviolabiliter, & inconcusse observari præcipimus, & mandamus sub poenis tam in Regulis Indicis, quam in Literis, & Constitutionibus Apostolicis alias statutis, & expressis, quas tenore earumdem præsentium confirmamus & renovamus. Non obstantibus Apostolicis generalibus, vel specialibus Literis, Constitutionibus, ac quibusvis statutis, decretis, usibus, stylis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, cæterisque in contrarium facientibus quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Prælati alicujus in dignitate ecclesiastica constituti obsignatis eadem prorsus fides habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXIII. Decembris MDCCLVII. Pontificatus Nostri Anno XVIII.


*Cajetanus Amatus.*

CA

CATHOLICO LECTORI  
FR. THOMAS AUGUSTINUS  
RICCHINIUS

ORDINIS PRÆDICATORUM

Sac. Congregationis Indicis Secretarius.

UM hætenus editi prohibitorum Librorum Indices amanuensium, ac typographorum incuria mendis pluribus deformati essent, neque satis commode, ætæque dispositi plerisque viderentur, non opportunum modo, sed necessarium visum est alteram editionem curare, quæ cæteris, quoad fieri posset, emendatior, accuratiusque ordinata prodiret. Hic autem ordo ille est, hæc ratio, quam in ipsa editione servandam nobis proposuimus.

In primis Indici universo cum Regulas ipsius Indicis sacrosanctæ Synodi Tridentinæ jussu editas, tum easdem in Regulas observationes, quæ Clementis VIII., & Alexandri VII. auctoritate confectæ sunt, præmisimus, una cum ejusdem Clementis VIII. Instructione. Quibus quidem rebus omnibus cum majorem & lucem, & vim afferat Sapientissimi Pontificis BENEDICTI XIV. Constitutio incipiens: Sollicita, ac provida: eam idcirco adjungendam putavimus. Subjecimus deinde Decreta quædam generalia, quo & brevitati Indicis consulere-mus, & dubitationem omnem tolleremus, si qua de certis quibusdam libris suboriri posset, qui in Indice nominatim descripti non essent.

Au-

Auctores autem ipsos, quorum nomina, ac cognomina, magna adhibita diligentia, germana lectioni restitimus, in alphabeticum ordinem redegitimus, majoremque in iis afferendis rationem habuimus cognominum, quam nominum, quod haec illis minus nota esse videantur. Cognominum tamen loco habuimus quoque simulata cognomina, quibus Pseudonymi delitescunt, tum aliquando Patriam, aut etiam Sanctos ipsos, quos sibi nonnulli tamquam cognomina assumunt.

Theses, atque Disputationes non Discipulorum, sed Magistrorum, aut Presidentium nomine, qui plerumque earum auctores esse solent, disposuimus, nisi forte quis vel suum unice, non Magistri nomen attulerit, vel ipse quidem earundem Thesium verissimus auctor habitus sit.

Libri a duobus auctoribus conscripti ejus auctoris cognomine referuntur, qui primus ordine reperitur. Qui vero libri a pluribus compositi sunt, jam non auctorum cognominibus, sed ipsis suis titulis designantur.

Eadem ratione Anonymos libros, alphabeti ordine retento, recensuimus; quos inter si quis libros aliquos annumeratos deprehendat, qui certos auctores habent, nec unquam Anonymi editi sunt, id & in precedentibus Indicibus, & in hoc nostro non sine causa factum esse intelligat.

Titulos vero librorum, quos pariter emendandos suscepimus, eadem Orthographia descriptos attulimus, quam auctores ipsi adhibuerunt. Et aliquibus quidem libris locum & tempus editionis addidimus, tum lectorum commodo, ne scilicet illos cum aliis ejusdem tituli, atque argumenti confunderent, tum ad monstrandum editiones illas, non reliquas, quae diversa sunt, aut emendata, esse proscriptas.

Ceterorum vero librorum, si locum, ubi impressi sunt, omisimus, id propterea faciendum existimavimus, ut intelligeret quisque omnes eorum librorum editiones, quocumque tandem loco factae sint, prohibitas esse; id enim cautum Decretis Sacrae Congregationis. Quam ob rem perraro etiam unius ejusdemque libri diversas, quae aliquando fieri solent, indicavimus versiones. Cum ex Instructione Clementis VIII. tit. de prohibit. librorum §. 6. appareat perniciosos, ac malos libros, qui certa aliqua lingua editi, ac deinde prohibiti sunt, prohibitos censerī debere, in quodcumque idioma postea transferantur.

Diem, mensem, & annum prohibitionis singulis fere libris, qui post annum 1596. proscripti sunt, adjunximus. Descriptos vero ante predictum annum in Indice Pii IV. quem Tridentinum vocant, & in Indice Clementis VIII. qui Tridentini Appendix vocari solet, hisce notis distinximus: Ind. Trid., App. Ind. Trid.

Quibus autem libris, eo quod utilitatem aliquam praesferre videantur, additum est Donec corrigantur seu Donec expurgentur: eam correctionem a nemine privato judicio, atque auctoritate fieri posse, sed rem totam ad Sacram Indicis Congregationem esse deferendam monemus.

Jam vero reticendum non putamus, quod non indumtaxat libri excommunicationis reservatae poena sunt proscripti, qui ab Haereticis compositi de Religione Catholica ex professo agunt, haeresesque docent, quod Literis Apostolicis die Coenae Domini legi solitis, & Constitutione Alexandri VII., quae incipit: Speculatores, statuitur; Sed quod ii etiam fere omnes libri huiusmodi poena proscribuntur, qui post predictam Alexandri VII. Constitutionem editam die 5. Martii anni 1664. Brevibus, aut Bullis Pon-

Pontificiis prohibiti indicantur; ut ex ipsis Brevibus intelligi potest, ad quae lectores remittimus.

Cetera, quae in hac nova editione, ut omnium commodo & utilitati serviremus, praestanda curavimus, usu quodam animadvertenda, ac judicanda Lectori relinquimus.





# REGULÆ INDICIS SACROSANCTÆ SYNODI TRIDENTINÆ

JUSSU EDITÆ.

## REGULA I.



**L**IBRI omnes, quos ante annum M. D. XV. aut summi Pontifices, aut Concilia œcumenica damnarunt, & in hoc Indice non sunt, eodem modo damnati esse censeantur, sicut olim damnati fuerunt.

## REGULA II.

**H**æresiarcharum libri, tam eorum, qui post prædictum annum hæreses invenerunt, vel suscitaverunt, quam qui hæreticorum capita, aut duces sunt, vel fuerunt, quales sunt Lutherus, Zwinglius, Calvinus, Balthasar Pacimontanus, Schwenckfeldius, & his similes, cujuscumque nominis, tituli aut argumenti existant, omnino prohibentur.

Aliorum autem hæreticorum libri, qui de religione quidem ex professo tractant, omnino damnantur.

Qui vero de religione non tractant, a Theologis Catholicis, jussu Episcoporum, & Inquisitorum examinati, & approbati, permittuntur.

Libri etiam catholice conscripti, tam ab illis, qui postea in hæresim lapsi sunt, quam ab illis, qui post lapsum ad Ecclesiæ gremium rediere, approbati a Facultate Theologica alicujus Universitatis Catholicæ, vel ab Inquisitione generali, permitti poterunt.

## REGULA III.

**V**ersiones scriptorum etiam Ecclesiasticorum, quæ hætenus editæ sunt a damnatis auctoribus, modo nihil contra sanam doctrinam contineant, permittuntur.

Librorum autem veteris Testamenti versiones viris tantum doctis, & piis, iudicio Episcopi concedi poterunt; modo huiusmodi versionibus, tanquam elucidationibus Vulgatæ editionis, ad intelligendam sacram Scripturam, non autem tanquam sacro textu, utantur.

Versiones vero novi Testamenti ab auctoribus primæ Classis huius Indicis factæ, nemini concedantur, quia utilitatis, periculi vero plurimum lectoribus ex earum lectione manere solet.

Si quæ vero annotationes cum huiusmodi, quæ permittuntur, versionibus, vel cum Vulgata editione circumferuntur, expunctis locis suspectis a Facultate Theologica alicujus Universitatis Catholicæ, aut Inquisitione generali, permitti eisdem poterunt, quibus & versiones.

Quibus conditionibus totum volumen Bibliorum, quod vulgo Biblia Vatabli dicitur, aut partes ejus, concedi viris piis, & doctis poterunt.

Ex Bibliis vero Isidori Clarii Brixiani prologus, & prolegomena præcidantur, ejus vero textum, nemo textum Vulgatæ editionis esse existimet.

## REGULA IV.

**C**UM experimento manifestum sit, si sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti, quam utilitatis oriri; hac in parte iudicio Episcopi, aut Inquisitoris stetur, ut cum consilio Parochi, vel Confessarii Bibliorum, a Catholicis auctoribus versorum, lectionem in vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint ex huiusmodi lectione non damnum, sed fidei, atque pietatis augmentum capere posse; quam facultatem in scriptis habeant.

Qui

Qui autem absque tali facultate ea legere, seu habere præsumpserit, nisi prius Bibliis Ordinario redditis, peccatorum absolutionem percipere non possit.

Bibliopolæ vero, qui prædictam facultatem non habenti Biblia idiomate vulgari conscripta vendiderint, vel alios quovis modo concesserint, librorum pretium, in usus pios ab Episcopo convertendum, amittant; aliisque pœnis pro delicti qualitate, ejusdem Episcopi arbitrio, subjaceant.

Regulares vero, nonnisi facultate a Prælati suis habita, ea legere, aut emere possint.

R E G U L A V.

**L**ibri, qui hæreticorum auctorum opera interdum prodeunt, in quibus nulla, aut pauca de suo apponunt, sed aliorum dicta colligunt, cujusmodi sunt Lexica, Concordantiæ, Apophthegmata, Similitudines, Indices, & hujusmodi, si quæ habeant admixta, quæ expurgatione indigeant, illis Episcopi, & Inquisitoris, una cum Theologorum Catholicorum consilio sublatis, aut emendatis, permittantur.

R E G U L A VI.

**L**ibri vulgari idiomate de controversiis inter Catholicos, & hæreticos nostri temporis differentes, non passim permittantur, sed idem de iis servetur, quod de Bibliis vulgari lingua scriptis statutum est.

Qui vero de ratione bene vivendi, contemplandi, confitendi, ac similibus argumentis vulgari sermone conscripti sunt, si sanam doctrinam contineant, non est cur prohibeantur; sicut nec sermones populares vulgari lingua habiti.

Quod si hætenus, in aliquo regno, vel provincia, aliqui libri sunt prohibiti, quod nonnulla contineant, quæ sine delectu ab omnibus legi non expediat; si eorum auctores Catholici sunt, postquam emendati fuerint, permitti ab Episcopo, & Inquisitore poterunt.

## REGULA VII.

**L**ibri, qui res lascivas, seu obscenas ex professo tractant, narrant, aut docent, cum non solum fidei, sed & morum, qui hujusmodi librorum lectione facile corrumpi solent, ratio habenda sit, omnino prohibentur; & qui eos habuerint, severe ab Episcopis puniantur.

Antiqui vero ab Ethnicis conscripti, propter sermonis elegantiam, & proprietatem, permittuntur: nulla tamen ratione pueris prælegendi erunt.

## REGULA VIII.

**L**ibri, quorum principale argumentum bonum est, in quibus tamen obiter aliqua inserta sunt, quæ ad hæresim, seu impietatem, divinationem, seu superstitionem spectant, a Catholicis Theologis, Inquisitionis generalis auctoritate, expurgati concedi possunt.

Idem judicium sit de prologis, summariis, seu annotationibus, quæ a damnatis auctoribus, libris non damnatis appositæ sunt: sed posthac non nisi emendati excudantur.

## REGULA IX.

**L**ibri omnes, & scripta Geomantiæ, Hydromantiæ, Aeromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, sive in quibus continentur sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, incantationes artis magicæ, prorsus rejiciuntur.

Episcopi vero diligenter provideant, ne Astrologiæ judicariæ libri, tractatus, indices legantur, vel habeantur, qui de futuris contingentibus, successibus, fortuitive casibus, aut iis actionibus, quæ ab humana voluntate pendent, certo aliquid eventurum affirmare audent.

Permittuntur autem judicia, & naturales observationes, quæ navigationis, agriculturæ, sive medicæ artis juvandæ gratia, conscripta sunt.

R E.

## REGULA X.

**I**N librorum, aliarumve scripturarum impressione servetur, quod in Concilio Lateranensi sub Leone X. Sess. X. statutum est.

Quare si in alma urbe Roma liber aliquis sit imprimendus, per Vicarium summi Pontificis, & sacri Palatii Magistrum, vel personas a Sanctissimo Domino Nostro deputandas, prius examinetur.

In aliis vero locis ad Episcopum, vel alium habentem scientiam libri, vel scripturæ imprimendæ, ab eodem Episcopo deputandum, ac Inquisitorem hæreticæ pravitatis ejus civitatis, vel diœcesis, in qua impressio fiet, ejus approbatio, & examen pertineat, & per eorum manum, propria subscriptione, gratis, & sine dilatione imponendam, sub pœnis, & censuris in eodem decreto contentis, approbetur; hac lege, & conditione addita, ut exemplum libri imprimendi authenticum, & manu auctoris subscriptum apud examinatoremaneat.

Eos vero, qui libellos manuscriptos vulgant, nisi ante examinati, probatique fuerint, iisdem pœnis subjici debere judicarunt Patres deputati, quibus impressores; & qui eos habuerint, & legerint, nisi auctores proderint, pro auctoribus habeantur.

Ipsa vero hujusmodi librorum probatio in scriptis detur, & in fronte libri, vel scripti, vel impressi, authentice appareat; probatioque, & examen, ac cetera gratis fiant.

Præterea in singulis civitatibus, ac diœcesibus, domus, vel loci, ubi ars impressoria exercetur, & bibliothecæ librorum venalium sæpius visitentur a personi ad id deputandis ab Episcopo, sive ejus Vicario, atque etiam ab Inquisitore hæreticæ pravitatis, ut nihil eorum, quæ prohibentur, aut imprimatur, aut vendatur, aut habeatur.

Omnes vero librarii, & quicumque librorum venditores habeant in suis bibliothecis Indicem librorum venalium, quos habent, cum subscriptione dictarum personarum; nec alios libros habeant, aut vendant, aut

b

qua-

quacunq̄ue ratione tradant, sine licentia eorundem deputatorum, sub pœna amissionis librorum, & aliis arbitrio Episcoporum, vel Inquisitorum imponendis: emptores vero, lectores, vel impressores, eorundem arbitrio puniantur.

Quod si aliqui libros quoscunq̄ue in aliquam civitatem introducant, teneantur iisdem personis deputandis renunciare; vel si locus publicus mercibus ejusmodi constitutus sit, ministri publici ejus loci prædictis personis significant, libros esse adductos.

Nemo vero audeat librum, quem ipse, vel alius in civitatem introduxit, alicui legendum tradere, vel aliqua ratione alienare, aut commodare, nisi ostenso prius libro, & habita licentia a personis deputandis, aut nisi notorie constet, librum jam esse omnibus permissum.

Idem quoque servetur ab hæredibus, & exequutoribus ultimarum voluntatum, ut libros a defuncto relictos, sive eorum indicem, illis personis deputandis asferant, & ab iis licentiam obtineant, priusquam eis utantur, aut in alias personas quacunq̄ue ratione eos transferant.

In his autem omnibus, & singulis pena statuatur, vel amissionis librorum, vel alia, arbitrio eorundem Episcoporum, vel Inquisitorum, pro qualitate contumaciæ, vel delicti.

Circa vero libros, quos Patres deputati, aut examinarunt, aut expurgarunt, aut expurgandos tradiderunt, aut certis conditionibus, ut rursus excuderentur, concesserunt, quicquid illos statuisse constiterit, tam bibliopolæ, quam ceteri observent.

Liberum tamen sit Episcopis, aut Inquisitoribus generalibus, secundum facultatem, quam habeant, eos etiam libros, qui his Regulis permitti videntur, prohibere, si hoc in suis regnis, aut provinciis, vel diœcesibus expedire judicaverint.

Ceterum nomina cum librorum, qui a Patribus deputatis purgati sunt, tum eorum, quibus illis hanc provinciam dederunt, eorundem deputatorum Secretarius Notario sacrae universalis Inquisitionis Romanæ descripta, Sanctissimi Domini Nostri jussu tradat.

Ad

Ad extremum vero omnibus Fidelibus præcipitur, ne quis audeat contra harum Regularum præscriptum, aut hujus Indicis prohibitionem, libros aliquos legere, aut habere.

Quod si quis libros hæreticorum, vel cujusvis auctoris scripta, ob hæresim, vel ob falsi dogmatis suspicionem damnata, atque prohibita legerit, sive habuerit, statim in excommunicationis sententiam incurrat.

Qui vero libros alio nomine interdictos legerit, aut habuerit, præter peccati mortalis reatum, quo afficitur, judicio Episcoporum severe puniatur.



xx  
OBSERVATIONES

AD REGULAM QUARTAM ET NONAM  
CLEMENTIS PAPÆ VIII.

JUSSU FACTÆ.

Circa quartam Regulam.

**A** Nnimadvertendum est circa suprascriptam quartam Regulam Indicis fel. rec. Pii Papæ IV. nullam per hanc impressionem, & editionem de novo tribui facultatem Episcopis, vel Inquisitoribus, aut Regularium Superioribus, concedendi licentiam emendi, legendi, aut retinendi Biblia vulgari lingua edita, cum hætenus mandato, & usu sanctæ Romanæ, & universalis Inquisitionis sublata eis fuerit facultas concedendi hujusmodi licentias legendi, vel retinendi Biblia vulgaria, aut alias sacre Scripturæ, tam novi, quam veteris Testamenti partes, quamvis vulgari lingua editas.

A D D I T I O.

Quod si hujusmodi Bibliorum versiones vulgari lingua fuerint ab Apostolica Sede approbatæ, aut editæ cum annotationibus desumptis ex sanctis Ecclesiæ Patribus, vel ex doctis, Catholicisque viris, conceduntur. Decr. Sacr. Congr. Ind. 13. Junii 1757.

Circa nonam Regulam.

**C**irca Regulam nonam ejusdem Indicis ab Episcopis, & Inquisitoribus Christi fideles sedulo admonendi sunt, quod in legentes, aut retinentes contra Regulam hanc libros hujusmodi Astrologiæ judicariæ, divinationum, & sortilegiorum, rerumque aliarum in eadem Regula expressarum, procedi potest, non modo per ipsos Episcopos, Ordinarios, sed etiam per Inquisitores locorum,

ex



ex Constitut. fel. rec. Sixti Papæ Quinti contra exercen-  
tes Astrologiæ judiciaræ artem, & alia quæcumque di-  
vinationum genera, librosque de eis legentes, ac tenentes,  
promulgata, sub Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, An-  
no Incarnat. Dom. M. D. LXXXV. Nonis Januarii,  
Pontificatus sui Anno Primo.

De Thalmud, & aliis libris Hebræorum.

**Q**UAMVIS in Indice prædicti Pii Papæ Quarti Thal-  
mud Hebræorum, ejusque glossæ, annotationes, in-  
terpretationes, & expositiones omnes prohibeantur; sed  
quod, si absque nomine Thalmud, & sine injuriis, &  
calumniis in religionem Christianam aliquando prodii-  
sent, tolerarentur: quia tamen Sanctissimus Dominus No-  
ster Dominus Clemens Papa VIII. per suam Constitutio-  
nem contra impia scripta, & libros Hebræorum sub Dat.  
Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnat. Dom. M.  
D. XCII. pridie Kal. Martii, Pontificatus sui Anno se-  
cundo, illos prohibuit, atque damnavit: mens ipsius non  
est, eos propterea ullatenus etiam sub illis conditionibus  
permittendi, aut tolerandi; sed specialiter, & expresse  
statuit, & vult, ut hujusmodi impii Thalmudici, Ca-  
balistici, aliique nefarii Hebræorum libri omnino damna-  
ti, & prohibiti maneant, & censeantur; atque super  
eis, & aliis libris hujusmodi prædicta Constitutio per-  
petuo, & inviolabiliter observetur.

De Libro Magazor.

**A**D hæc sciant Episcopi, Ordinarii, & Inquisitores  
locorum, librum Magazor Hebræorum, qui conti-  
net partem officiorum, & ceremoniarum ipsorum, & Sy-  
nagogæ, Lusitanica, Hispanica, Gallica, Germanica,  
Italica, aut quavis alia vulgari lingua, præterquam  
Hebræa, editum, jamdiu ex speciali decreto rationabili-  
ter prohibitum esse. Idcirco provideant, illum nullatenus  
permitti, aut tolerari debere, nisi Hebraica lingua præ-  
dicta.



## OBSERVATIONES

AD REGULAM DECIMAM

ALEXANDRI PAPÆ VII.

JUSSU ADDITÆ.

**O**bservandum est circa Regulam decimam, quod degentes in statu Sedi Apostolicæ mediate, vel immediate subiecto non possunt transmittere libros a se compositos, alibi imprimendos, sine expressa approbatione, & in scriptis Eminentissimi, ac Reverendissimi D. Cardinalis Sanctissimi Domini Nostri Vicarii, & magistri sacri Palatii, si in Urbe; si vero extra Urbem existant, sine Ordinarii loci illius, sive ab his deputatorum facultate, & licentia operi infigenda.

Qui vero super impressionem librorum, ordinariam, aut delegatam auctoritatem exercent, dent operam, ne ad examen librorum huiusmodi, personas affectui auctorum quomodolibet addictas, præsertim vero propinquitate illos, aut alia, quantumvis a longe petita ea sit ( veri, & sinceri iudicii corruptrice ) necessitudine contingentes admittant: super omnia autem ab oblati sibi in hanc operam per eosdem auctores censoribus caveant; sed iis demum utantur, quos doctrina, morumque integritate probatos, ab omni suspitione gratiæ intactos, ac, si fieri potest,

test,

test, auctoribus ipsis ignotos, & unius boni publici, Deique glorie studiosos cognoverint. Quo vero ad auctores Regulares, cujuscumque ordinis, & instituti sint, illud præterea observandum, ut ne eorum scripta, vel opera aliis ejusdem instituti Regularibus examinanda committantur, sed alterius ordinis, & instituti viri pii, doctique, & a partium studio, atque ab amoris, & odii stimulis prorsus remoti eligantur: per hoc autem non tollitur, quin intra eorundem Regularium ordinem, per Religiosos ejusdem ordinis, Superiorum suorum jussu, præfati libri examinari debeant.



# INSTRUCTIO

Pro iis, qui libris tum prohibendis, tum expurgandis, tum etiam imprimendis, diligentem, ac fidelem, ut par est, operam sunt daturi,

## CLEMENTIS VIII.

### AUCTORITATE REGULIS INDICIS

#### ADJECTA.

**A**D Fidei Catholicæ conservationem non satis est, quinam ex jam editis libris damnatæ lectionis sint, cognoscere (quod Indice, & Regulis confectis per Patres a generali Tridentina Synodo delectos, præcipue sancitum est) nisi illud etiam caveatur, ne vel iidem denuo pullulent libri, vel similes alii emergant, propagentur, qui incautas Fidelium mentes occulto veneno inficiente, iusta, ac merita damnatione digni judicentur.

Ut igitur quicumque posthac, seu veteres, seu novi libri edentur, quam maxime puri, & tam in iis, quæ ad fidem, quam quæ ad mores pertinent, incontaminati existant; quid circa malorum librorum interdictionem, ad eos penitus abolendos, tam ab Episcopis, & Inquisitoribus, quam a ceteris, quorum ad id in Ecclesia Dei studium valere, & auctoritas potest; ( præter ea, quæ Tridentinorum Patrum Regulis supradictis decreta sunt ) publica utilitas exigat, capitibus infra positis, diligentius sancitur, iisdemque statuitur, quæ omnino in posterum, tum ab iisdem Episcopis, & Inquisitoribus, aliisque, ut præfertur, in malorum librorum interdictione, & abolitione, tum a correctoribus in librorum, ac ceterorum quorumcumque scriptorum correctione, atque emendatione, tum a typographis in ipsorum librorum impressione ( pœna pro arbitrio Episcopi, & Inquisitoris adversus eosdem typographos constituta ) inviolate sunt observanda.

DE

## DE PROHIBITIONE LIBRORUM.

## §. I.

**C**urent Episcopi, & Inquisitores, ut statim atque hic Index fuerit publicatus, eorum jurisdictioni subjecti ad ipsos descripta singillatim deferant nomina librorum omnium, & singulorum, quos apud se in eodem Indice prohibitos quisque reperiet.

Ad hujusmodi vero libros sic significandos, infra certum tempus ab Episcopo, vel Inquisitore præscribendum, omnes cujuscumque gradus, & conditionis extiterint, sub gravi pœna, eorum arbitrata infligenda, teneantur.

Romæ vero hæc omnia, certo a se, propositis editis, præscribendo tempore, præstari curabit sacri Palatii Magister.

## §. II.

**S**I qui erunt, qui librum unum, aut plures ex prohibitis, qui ad præscriptum Regularum permitti possunt, certa aliqua ex causa potestatem sibi retinendi, aut legendi fieri ante expurgationem desiderent; concedendę facultatis, extra Urbem jus erit penes Episcopum, aut Inquisitorem; Romæ, penes Magistrum sacri Palatii.

Qui quidem gratis eam, & scripto manu sua subscripto tribuent, de triennio in triennium renovandam; ea in primis adhibita consideratione, ut nonnisi viris dignis, ac pietate, & doctrina conspicuis, cum delictu, ejusmodi licentiam largiantur; iis autem in primis, quorum studia utilitati publicæ, & sanctæ Catholicæ Ecclesiæ usui esse, compertum habuerint.

Qui inter legendum, quæcumque repererint animadversione digna, notatis capitibus, & foliis, significare Episcopo, vel Inquisitori teneantur.

## §. III.

## §. III.

**I**llud etiam Catholicæ fidei conservandæ necessitas extra Italiam, maxime cum ab Episcopis, & Inquisitoribus, tum a publicis Universitatibus, omni doctrinæ laude florentibus postulat, ut eorum librorum Indicem confici, & publicari curent, qui per eorum regna, atque provincias, hæretica labe infecti, ac bonis moribus contrarii vagantur, sive illi propria nationis, sive aliena lingua, conscripti fuerint.

Utque ab eorum lectione, seu retentione certis pœnis, ab eisdem Episcopis, & Inquisitoribus propositis, eorundem regnorum, ac provinciarum homines arceant.

Ad quod exequendum Apostolicæ sedis Nuntii, & Legati extra Italiam, eosdem Episcopos, Inquisitores, & Universitates, sedulo excitare debebunt.

## §. IV.

**I**dem Apostolici extra Italiam Nuntii, sive Legati, nec non in Italia Episcopi, & Inquisitores, eam curam suscipiant, ut singulis annis catalogum diligenter collectum librorum in suis partibus impressorum, qui aut prohibiti sint, aut expurgatione indigeant, ad sanctam Sedem Apostolicam, vel congregationem Indicis ab illa deputatam, transmittant.

## §. V.

**E**piscopi, & Inquisitores, seu ab iisdem subdelegati, & deputati, tam in Italia, quam extra, penes se habeant singularum nationum Indices; ut librorum, qui apud illas damnati, ac prohibiti sunt, cognitionem habentes, facilius prospicere possint, an etiam a suæ jurisdictionis terris eosdem recognitos arcerent, vel retinere debeant.

## §. VI.

## §. VI.

**I**N universum autem de malis, & perniciosis libris id declaratur, atque statuitur, ut qui certa aliqua lingua initio editi, & deinde prohibiti, ac damnati a sede Apostolica sunt; iidem quoque, in quamcumque postea vertantur linguam, censeantur ab eadem Sede, ubique gentium, sub eisdem pœnis interdicti, & damnati.

## DE CORRECTIONE LIBRORUM.

## §. I.

**H**Abeant Episcopi, & Inquisitores conjunctim facultatem quoscumque libros juxta præscriptum hujus Indicis expurgandi, etiam in locis exemptis, & Nullius: ubi vero nulli sunt Inquisitores, Episcopi soli.

Librorum vero expurgatio non nisi viris eruditione, & pietatis insignibus committatur, iique sint tres; nisi forte, considerato genere libri, aut eruditione eorum, qui ad id deligentur, plures, vel pauciores judicentur expedire.

Ubi emendatio confecta erit, notatis capitibus, paragraphis, & foliis, manu illius, vel illorum, qui expurgaverint, subscripta, reddatur eisdem Episcopis, & Inquisitoribus, ut præfertur; qui si emendationem approbaverint, tunc liber permittatur.

## §. II.

**Q**UI negotium susceperit corrigendi, atque expurgandi, circumspicere omnia, & attente notare debet, non solum, quæ in cursu operis manifeste se offerunt, sed si quæ in scholiis, in summariis, in marginibus, in indicibus librorum, in præfationibus, aut epistolis dedicatoriis, tamquam in insidiis, delitescant.

Quæ autem correctione, atque expurgatione indigent, fere hæc sunt, quæ sequuntur.

Pro-

Propositiones hæreticæ, erroneæ, hæresim sapientes, scandalosæ, piarum aurium offensivæ, temerariæ, schismaticæ, seditiosæ, & blasphemæ.

Quæ contra Sacramentorum ritus, & cæremonias, contraque receptum usum, & consuetudinem sanctæ Romanæ Ecclesiæ novitatem aliquam inducunt.

Profanæ etiam novitates vocum ab hæreticis excogitatae, & ad fallendum introductæ.

Verba dubia, & ambigua, quæ legentium animos a recto catholicoque sensu ad nefarias opiniones adducere possunt.

Verba sacrae Scripturæ non fideliter prolata, vel e pravis hæreticorum versionibus deprompta; nisi forte afferentur ad eosdem hæreticos impugnandos, & propriis telis jugulandos, & convincendos.

Expungi etiam oportet verba Scripturæ sacrae, quæcumque ad profanum usum impie accommodantur: tum quæ ad sensum detorquentur abhorrentem a Catholicorum patrum, atque doctorum unanimi sententia.

Itemque epitheta honorifica, & omnia in laudem hæreticorum dicta deleantur.

Ad hæc rejiciantur omnia, quæ superstitiones, sortilegia, ac divinationes sapiunt.

Item quæcumque fato, aut fallacibus signis, aut ethnicæ fortunæ, humani arbitrii libertatem subjiciunt, obliterentur.

Ea quoque aboleantur, quæ paganismum redolent.

Item quæ famæ proximorum, & præsertim Ecclesiasticorum, & Principum detrahunt; bonisque moribus, & Christianæ disciplinæ sunt contraria, expungantur.

Expungendæ sunt etiam propositiones, quæ sunt contra libertatem, immunitatem, & jurisdictionem Ecclesiasticam.

Item quæ ex gentilium placitis, moribus, exemplis tyrannicam politiam fovent, & quam falso vocant rationem status, ab Evangelica, & Christiana lege abhorrentem inducunt, deleantur.

Explodantur exempla, quæ Ecclesiasticos ritus, Religiosorum ordines, statum, dignitatem, ac personas lædunt, & violant.



Facetiæ etiam, aut dictæria, in perniciem, aut præjudicium famæ, & existimationis aliorum jactata, repudientur.

Denique lasciva, quæ bonos mores corrumpere possunt, deleantur.

Et si quæ obscenæ imagines, prædictis libris expurgandis impressæ, aut depictæ extent, etiam in litteris grandiusculis, qua initio librorum, vel capitum imprimi moris est; hujus generis omnia penitus obli-  
rentur.

§. III.

**I**N libris autem Catholicorum recentiorum, qui post annum Christianæ salutis M. D. XV. conscripti sunt, si id quod corrigendum occurrit, paucis demptis, aut additis, emendari posse videatur; id correctores faciendum curent; sin minus, omnino auferatur.

§. IV.

**I**N libris autem Catholicorum veterum nihil mutare fas sit, nisi ubi aut, fraude hæreticorum, aut typographi incuria manifestus error irreperit.

Si quid autem majoris momenti, & animadversione dignum occurrerit, liceat in novis editionibus, vel ad margines, vel in scholiis adnotare; ea in primis adhibita diligentia, an ex doctrina, locisque collatis, ejusdem auctoris sententia difficilior illustrari, ac mens ejus planius explicari possit.

§. V.

**P**ostquam codex expurgatorius confectus erit, ac mandato Episcopi, & Inquisitoris impressus, qui libros expurgandos habebunt, poterunt de eorundem licentia, juxta formam in codice traditam, eos corrigere, ac purgare.

## DE IMPRESSIONE LIBRORUM.

## §. I.

**N**ullus liber in posterum excudatur, qui non in fronte nomen, cognomen, & patriam præferat auctoris. Quod si de auctore non constet, aut justam aliquam ob causam, tacito ejus nomine, Episcopo, & Inquisitori liber edi posse videatur, nomen illius omnino describatur, qui librum examinaverit, atque approbaverit.

In his vero generibus Librorum, qui ex variorum scriptorum dictis, aut exemplis, aut vocibus compilari solent, is qui laborem colligendi, & compilandi susceperit, pro auctore habeatur.

## §. II.

**R**egulares, præter Episcopi, & Inquisitoris licentiam ( de qua Regula decima dictum est ), meminert teneri se, sacri Concilii Tridentini decreto, operis in lucem edendi facultatem a Prælato, cui subjacent, obtinere.

Utramque autem concessionem, quæ appareat, ad principium operis imprimi faciant.

## §. III.

**C**urent Episcopi, & Inquisitores, pœnis etiam propositis, ne impressoriam artem exercentes, obscenas imagines, turpesve, etiam in grandiusculis literis imprimi consuetas, in librorum deinceps impressione apponant.

Ad libros vero, qui de rebus Ecclesiasticis, aut spiritualibus conscripti sunt, ne characteribus grandioribus utantur, in quibus expresse appareat alicujus rei profanæ, nedum turpis, obscenæve species.

Qui etiam invigilabunt summopere, ut in singulorum impressione librorum nomen impressoris, locus impres-

sio-

fionis, & annus, quo liber impressus est, in principio ejus, atque in fine adnotetur.

## §. IV.

**Q**UI operis alicujus editionem parat, integrum ejus exemplar exhibeat Episcopo, vel Inquisitori: id ubi recognoverint, probaverintque, penes se retineant. Quod Romæ quidem in Archivio Magistri sacri Palatii; extra Urbem vero, in loco idoneo, quem Episcopus, aut Inquisitor elegerit, reservetur.

Postquam autem liber impressus erit, non liceat cuiquam venalem in vulgus proponere, aut quoquomodo publicare, antequam is, ad quem hæc cura pertinet, illum cum manuscripto apud se retento diligenter contulerit, licentiamque, ut vendi, publicarique possit, concesserit.

Idque tum demum faciendum, cum exploratum habebitur, typographum fideliter se in suo munere gessisse, neque ab exemplari manuscripto vel minimum discessisse.

## §. V.

**C**urent Episcopi, & Inquisitores, quorum munus erit facultatem libros imprimendi concedere, ut eis examinandis spectatæ pietatis, & doctrinæ viros adhibeant, de quorum fide, & integritate sibi polliceri queant, nihil eos gratiæ duros, nihil odio, sed omni humano affectu posthabito, Dei dumtaxat gloriam spectaturos, & fidelis populi utilitatem.

Talium autem virorum approbatio, una cum licentia Episcopi, & Inquisitoris, ante initium operis imprimatur.

## §. VI.

**T**ypographi, & bibliopolæ coram Episcopo, aut Inquisitore, & Romæ coram Magistro sacri Palatii, jurejurando spondeant, se munus suum catholice, sincere, ac fideliter exequenturos, hujusque Indicis de-  
cre-

cretis, ac regulis, Episcoporumque, & Inquisitorum edictis, quatenus eorum artes attingunt, obtemperaturos; neque ad suæ artis ministerium quemquam scienter admissuros, qui hæretica labe sit inquinatus.

Quod si inter illos, insignes, ac eruditi nonnulli reperiantur, fidem etiam Catholicam, juxta formam a Pio IV. fel. rec. præscriptam, eorundem Superiorum arbitrio, profiteri teneantur.

## §. VII.

**L**iber auctoris damnati, qui ad præscriptum Regularum expurgari permittitur, postquam accurate recognitus, & purgatus, legitimeque permissus fuerit, si denuo sit imprimendus, præferat titulo inscriptum nomen auctoris, cum nota damnationis, ut quamvis quoad aliqua liber recipi, auctor tamen repudiari intelligatur.

In ejusdem quoque libri principio, tum veteris prohibitione, tum recentis emendationis, ac permissionis mentio fiat; exempli gratia: *Bibliotheca a Conrado Gesnero Tigurino, damnato auctore, olim edita, ac prohibita, nunc jussu Superiorum expurgata, & permissa.*



SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

BENEDICTI PAPÆ XIV.

## CONSTITUTIO

QUA

Methodus præscribitur in examine, & pro-  
scriptione Librorum servanda.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

*Ad perpetuam rei memoriam.*



OLLICITA ac provida Romanorum Ponti-  
ficum prædecessorum nostrorum vigilantia  
in eam semper curam incubuit, ut Christi  
fideles ab eorum librorum lectione averteret,  
ex quibus incauti, ac simplices detrimenti  
quidpiam capere possent, imbuique opinionibus, ac do-  
ctrinis, quæ vel morum integritati, vel Catholicæ re-  
ligionis dogmatibus adversantur. Nam, ut vetustissi-  
mum mittamus sancti Gelasii I. Decretum, quæque  
jam pridem a Gregorio IX., aliisque Pontificibus hac  
de re statuta fuerunt; ignorare neminem arbitramur,  
quæ fuerint a prædecessoribus nostris Pio IV., sancto  
Pio V., & Clemente VIII. diligentissime præstita, ut  
saluberrimum opus a sacrosanctæ Tridentinæ Synodi  
Patribus susceptum, mature discussum, ac pene ad exi-  
tum perductum, de vetitæ lectionis librorum Indice  
conficiendo, atque vulgando, non absolverent solum,  
atque perficerent, sed sapientissimis etiam decretis ac  
regulis communirent. Quod quidem negocium Aposto-  
lica Sedes continenter urget, ac promovet; ad id de-  
putatis duabus sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium

Congregationibus, quibus onus inquirendi in pravos, noxiosque libros impositum est, cognoscendique, quibus emendatio, & quibus proscripcio debeatur. Id munus Congregationi quidem Romanæ universalis Inquisitionis a Paulo IV. commissum perhibent, idque adhuc ab ea exerceri pergit, ubi de libris ad certarum genera pertinentibus judicandum occurrit. Certum est autem, sanctum Pium V. Primum fuisse Congregationis Indicis institutorem, quam subsequentes deinde Pontifices Gregorius XIII., Sixtus V., & Clemens VIII. confirmarunt, variisque privilegiis, & facultatibus auxerunt: ejusque proprium, ac fere unicum officium est, in examen libros vocare, de quorum proscriptione, emendatione, vel permissione capienda est deliberatio.

§. I. Qua maturitate, consilio, ac prudentia in Congregatione universalis Inquisitionis de proscribendis, vel dimittendis libris deliberetur, cum neminem latere putamus, tum nos ipsi plane perspectum, ac diuturna experientia compertum habemus; nam in minoribus constituti, de libris nonnullis in ea censuram tulimus, & Consultoris ejusdem Congregationis munere diu perfuncti sumus; postremo inter sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales cooptati, Inquisitoris generalis locum in ea obtinuimus; ac demum ad Apostolicam Sedem, meritis, licet imparibus, eVecti, non modo censorum animadversiones in libros nonnullos aliquando legere, ac ponderare, sed etiam in Congregationibus, quæ singulis feriis quintis coram nobis habentur, Cardinalium sententias, atque suffragia, antequam de iisdem libris quid decernatur, audire, & excipere consuevimus. Haud minoris diligentia testimonium ferre possumus, adeoque debemus, pro altera Congregatione Indicis, cui generaliter incumbit, ut supra diximus, de quorumvis librorum proscriptione decernere. Dum enim in minoribus versaremur, tum secundi censoris, seu relatoris officium in ea Congregatione non semel obivimus; ex quo autem supremum Pontificatum gerimus, nullius libri proscriptionem ratam habuimus, nisi audito Congregationis Secretario, qui

qui libri materiem, revisorum censuras, Cardinalium judicia, & suffragia accurate nobis exponeret.

§. 2. Sed quoniam compertum est nobis, atque exploratum, multas librorum proscriptiones; præsertim quorum auctores Catholici sunt, publicis aliquando injustisque querelis in reprehensionem adduci; tanquam si temere, ac perfunctorie in Tribunalibus nostris ea res ageretur; operæ pretium duximus, hac nostra perpetuo valitura Constitutione, certas, firmasque regulas proponere, juxta quas deinceps librorum examen, judiciumque peragatur: tametsi plane affirmari possit, idipsum jampridem, vel eadem prorsus ratione, vel alia æquipollenti, constanter actum fuisse.

§. 3. Porro Romanæ universalis Inquisitionis Congregatio ex pluribus constat sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus a summo Pontifice delectis; quorum alii sacræ Theologiæ, alii Canonici Juris doctrina, alii Ecclesiasticarum rerum peritia, munerumque Romanæ Curiaë exercitatione, prudentiæ demum, ac probitatis laude, conspicui habentur. His adjungitur unus ex Romanæ Curiaë Præsulibus, quem Assessorem vocant; unus etiam ex ordine Prædicatorum sacræ Theologiæ Magister, quem Commissarium appellant; certus præterea Consultorum numerus, qui ex utroque Clero seculari, ac regulari assumuntur; alii demum præstantes doctrina viri, qui a Congregatione jussi, de libris censuram instaurant, iisque Qualificatorum nomen tributum est. De variis in præfata Congregatione, iisque gravissimis rebus agitur, in primis autem de causis fidei, ac de personis violatæ religionis reis. At cum librum aliquem ad eam, tanquam proscriptione dignum, deferri contigerit; nisi ad Indicis Congregationem, ut fieri plerumque solet, judicandum remittat, sed pro rerum, remporumque ratione sibi de illo cognoscendum esse arbitretur; nos, inhærentes decreto lato ab eadem Congregatione feria quarta kalendis Julii anni millesimi septingentesimi quinquagesimi, atque a nobis confirmato feria quinta insequente, hac ratione, & methodo judicium institui mandamus.

§. 4. Primo nimirum uni ex Qualificatoribus, aut

Consultoribus a Congregatione designando, liber tradatur, quem is attento animo legat, ac diligenter expendat; tum censuram suam scripto consignet, locis indicatis, & paginis, in quibus notati errores continentur. Mox liber cum animadversionibus revisoris ad singulos Consultores mittatur, qui in Congregatione pro more habenda singulis feriis secundis in ædibus sancti Officii, de libro, & censura sententiam dicant: ipsa deinde censura, cum libro, & Consultorum suffragiis, ad Cardinales transmittatur, ut hi in Congregatione, quæ feria quarta haberi solet in fratrum Prædicatorum Cœnobio sanctæ Mariæ supra Minervam nuncupato, de tota re definitive pronuncient. Post ab Assessore sancti Officii acta omnia ad Pontificem referantur, cuius arbitrio iudicium omne absolvetur.

§. 5. Cum autem sit veteri institutione receptum, ut auctoris Catholici liber, non unius tantum relatoris perspecta censura, illico proscribatur; ad normam præfati decreti mensis Julii anni millesimi septingentesimi quinquagesimi, volumus eam consuetudinem omnino servari; ita ut si primus censor librum proscribendum esse iudicet, quamvis Consultores in eandem sententiam conveniant, nihilominus alteri revisori ab eadem Congregatione electo liber, & censura tradantur, suppresso primi censoris nomine, quo alter iudicium suum liberius exponat. Si autem secundus revisor primo assentiatur, tunc utriusque animadversiones ad Cardinales mittantur, ut iis expensis de libro decernant; at si secundus a primo dissentiat, ac librum dimittendum existimet, tertius eligatur censor, cui, suppresso priorum nomine, utraque censura communicetur. Hujus autem relatio, si a priore Consultorum sententia non abludat, Cardinalibus immediate communicetur, ut ipsi, quod opportunum fuerit decernant. Sin minus, iterum Consultores, perspecta tertia censura suffragium ferant; idque una cum omnibus præfatis relationibus, Cardinalibus exhibeatur, qui, re ita mature perpensa, de controversia denique pronunciare debebunt. Quotiescumque autem Pontifex, vel ob rei, de qua in libro agitur, gravitatem, vel quia id aucto-



toris merito, aliisque circumstantiis tribuendum censent, libri iudicium coram se ipso in Congregatione ferriæ quintæ habendum decreverit; quod sæpe a nobis factum fuit, & quoties ita expedire iudicabimus, in posterum quoque fiet; tunc satis fuerit exhibere Pontifici, & Cardinalibus libri censuras, & Consultorum suffragia, omisso examine Congregationis ferriæ quartæ, ejusque relatione, quam per Assessorem Pontifici faciendam diximus: nam Cardinalium suffragiis coram ipso Pontifice ferendis, atque hujus definitiva sententia, vel alio opportuno consilio in eadem Congregatione capiendo, res absolvetur.

§. 6. Altera quoque Indicis Congregatio plures complectitur Cardinales ipsi a Pontifice adscriptos, iisdemque dotibus præditos, quibus sancti Officii Cardinales pollere solent; quum etiam eorum aliquos in utraque Congregatione locum habere contingat. Ex iis unus ejusdem Congregationis Præfectus existit; Assistens vero perpetuus est Magister sacri Palatii; Secretarius autem a prima Congregationis institutione usque in presentem diem, ex ordine Fratrum Prædicatorum a summo Pontifice pro tempore eligi consuevit. Sunt præterea ex utroque Clero seculari, & regulari ejusdem Congregationis Consultores, & Relatores selecti; & quidem, ubi aliquis librorum relationes coram Congregatione semel, bis, tertio laudabiliter peregerit, tum ipsa Congregatio Pontificem rogare solet, ut ejus auctoritate in Consultorum numerum referatur.

§. 7. Sub ipsa Pontificatus nostri primordia, ea nos subiit cogitatio, ut certam aliquam, & immutabilem methodum pro examine, iudicioque librorum in hac Indicis Congregatione servandam statueremus. Quæ de re non modo consilium exquisivimus dilecti filii nostri Angeli Mariæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Quirini nuncupati, ejusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarii, & dictæ Congregationis Præfecti, qui pari prudentia & doctrina suum nobis sensum scripto declaravit; verum etiam antiquiores aliquot ejusdem Congregationis Consultores coram dilecto filio Josepho Augustino Orsi ordinis Prædicatorum, tunc ipsius Con-

XXXVIII SS. D. N. BENEDICTI PAPÆ XIV.

gregationis Secretario, nunc autem Palatii Apostolici Magistro, convenire iussimus, suamque sententiam aperire, quæ pariter scripto concepta, nobis jam tunc exhibita fuit. Cumque hæc omnia diligenter apud nos asservata fuerint, nunc demum veterem deliberationem nostram resumentes, quemadmodum ea, quæ ad librorum examen, atque iudicium in primodicta Congregatione sancti Officii peragendum, pertinent, auctoritate nostra constabilivimus; ita etiam ea, quæ ad Congregationem Indicis, & ejusdem generis negocia apud eam tractanda facere possunt, opportunis decretis constituere volentes, prælaudati Cardinalis Præfecti consiliis, dictorumque Consultorum votis inhærendo, hæc deinceps servanda decernimus.

§. 8. Cum Congregatio Indicis ad librorum censuram unice, ut dictum est, instituta, non ita crebro convocari soleat, ut altera sancti Officii Congregatio, quæ ob causarum, & negotiorum multitudinem singulis hebdomadis ter haberi consuevit; illius propterea Secretario peculiare munus, & officium recipiendi librorum denunciationses, ut fieri jam ante consuevit, committimus, & demandamus. Is autem a libri delatore percunctabitur diligenter, quas ob causas illum prohiberi postulet, tum librum ipsum haud perfunctorie pervolvat, ut de propositæ accusationis subsistentia cognoscat; duobus etiam in eam rem adhibitis Consultoribus, ab ipso, prævia summi Pontificis, aut Cardinalis Præfecti, vel ejus, qui Præfecti vices supplet, approbatione eligendis: quorum collato consilio, si liber censura, & nota dignus videatur, unus aliquis relator ad ferendum de eo iudicium idoneus, illius nempe facultatis, de qua in libro agitur, peritus, eadem, quam nuper innuimus, ratione eligendus erit, qui scripto referat animadversiones suas, adnotatis paginis, quibus singula ab ipso reprehensa continentur. Sed antequam ejus censura ad Cardinalium Congregationem feratur, haberi volumus privatam Consultorum Congregationem, quam olim *Parvam* dixerunt, nos autem *Preparatoriam* vocabimus, ut Relatoris animadversionibus ad librum collatis, de earum

rum pondere iudicium fiat. Huiusmodi Congregatio semel omnino singulis mensibus, aut etiam sæpius, si oportuerit, ab ipso Congregationis Secretario convocanda erit, vel in suis cubiculis, vel opportuniore, ut ipsi videbitur, loco, intra prædicti Cœnobii ædes, ubi is commoratur. Eique semper intererit Magister sacri Palatii pro tempore existens, una cum sex aliis e numero Consultorum, singulis vicibus, pro qualitate argumenti, & materiæ, de qua disputandum erit, ut supra de primis duobus Consultoribus, & de relatore constitutum est, a Secretario eligendis; præter Secretarium ipsum, cujus partes erunt in tabulas referre Consultorum sententias, quas deinde ad Congregationem Cardinalium mittet, cum relatoris censura. In generali demum Congregatione omnia illa servari debent, quæ superius statuta sunt pro Congregatione sancti Officii circa librorum examen. Ac quemadmodum ad Assessorem sancti Officii pertinet de actis in Congregatione summum Pontificem certum reddere; ita ad Secretarium Congregationis Indicis spectabit, quoties hæc librum aliquem proscribendum, aut emendandum censuerit, ejusdem Pontificis assensum, prævia diligenti actorum omnium relatione, exquirere.

§. 9. Quoniam vero in Congregatione Indicis de sola librorum prohibitione agitur, nonnulla hoc loco adjungenda iudicavimus, eidem Congregationi potissimum usui futura, quæ tamen ab altera etiam Congregatione sancti Officii, dum in hujus quoque generis causis se immiscet, ubi similes rerum circumstantiæ se offerant, æque observanda erunt. Quotiescunque agatur de libro auctoris Catholici, qui sit integræ famæ, & clari nominis, vel ob alios editos libros, vel forte ob eum ipsum, qui in examen adducitur, & hunc quidem proscribi oporteat; præ oculis habeatur usu jamdiu recepta consuetudo prohibendi librum, adjecta clausula: *donec corrigatur*, seu *donec expurgetur*, si locum habere possit, nec grave quidpiam obstet, quo minus in casu, de quo agitur, adhiberi valeat. Hac autem conditione proscriptioni adjecta, non statim edatur decretum, sed suspensa illius publicatione, res antea

cum auctore, vel quovis altero pro eo agente, & rogante, communicetur, atque ei quid delendum, mutandum, corrigendumve fuerit, indicetur. Quod si nemo auctoris nomine compareat, vel ipse, aut alter pro eo agens, injunctam correctionem libri detrectet, congruo definito tempore decretum edatur. Si vero idem auctor, ejusve procurator, Congregationis jussa fecerit, hoc est novam instituerit libri editionem cum opportunis castigationibus, ac mutationibus; tunc supprimatur proscriptionis decretum: nisi forte prioris editionis exemplaria magno numero distracta fuerint; tunc enim ita decretum publicandum erit, ut omnes intelligant, primæ editionis exemplaria dumtaxat interdicta fore, secundæ vero jam emendatæ permissa.

§. 10. Conquestos scimus aliquando nonnullos, quod librorum judicia, & proscriptiones, inauditis auctoribus, fiant, nullo ipsis loco ad defensionem concessa. Huic autem querelæ responsum fuisse novimus, nihil opus esse auctores in iudicium vocare, ubi non quidem de eorum personis notandis, aut condemnandis agitur, sed de consulendo Fidelium indemnitati, atque avertendo ab ipsis periculo, quod ex nocua librorum latione facile incurritur; si qua vero ignominia labe auctoris nomen ex eo aspergi contingat, id non directe, sed oblique ex libri damnatione consequi. Quæ sane ratione minime improbandas censemus hujusmodi librorum prohibitiones, inauditis auctoribus factas; quum præsertim credendum sit, quidquid pro se ipso, aut pro doctrinæ suæ defensione potuisset auctor afferre, id minime a censoribus, atque iudicibus ignoratum, neglectumve fuisse. Nihilo tamen minus, quod sæpe alias, summa æquitatis, & prudentiæ ratione, ab eadem Congregatione factum fuisse constat, hoc etiam in posterum ab ea servari magnopere optamus, ut quando res sit de auctore Catholico, aliqua nominis & meritorum fama illustri, ejusque opus, demptis demendis in publicum prodire, & prodesse posse dignoscatur, vel auctorem ipsum suam causam tueri volentem audiat, vel unum ex Consultoribus designet, qui *ex officio* operis patrocinium, defensionemque suscipiat.

§. 11. Quemadmodum vero, ubi de Congregatione sancti officii agebamus, eidem nos semper interfuturos recepimus, quotiescumque de libro, cujus materia gravioris momenti sit, judicium agatur; quod erit nobis facillimum, quum eadem Congregatio qualibet feria quinta coram nobis habeatur; sic & Indicis Congregationi præsentiam nostram impendere parati sumus, quoties rei gravitas id promereri videbitur. Neque enim id opus esse dicendum est, quum vel hæretici hominis liber denunciatur, in quo auctor errores Catholico dogmati adversantes consulto tradit, aut tuetur; vel opus aliquod in examen adducitur, quo rectæ morum regulæ labefactantur, ac vitiis, & corruptelis fomenta præbentur. In his enim casibus ne illas quidem, quas supra scripsimus, accuratiores cautelas adhibere necesse erit; sed hæretico dogmate, vel pravo moris incitamento semel comperto, proscriptionis decretum illico sancendum erit, juxta primam, secundam, & septimam Indicis Regulas, sacrosancti Tridentini Concilii jussu editas, atque vulgatas.

§. 12. Cum in prælaudata congregatione sancti Officii severissimis legibus cautum sit, ne de rebus ejusdem Congregationis quisquam cum alio extra illam loquatur; nos hanc eandem silentii legem a relatoribus, Consultoribus, & Cardinalibus Congregationis Indicis religiose custodiendam præcipimus. Illius tamen Secretario potestatem facimus, ut animadversiones in libros censuræ subjectos, eorum auctoribus, vel aliis illorum nomine agentibus, & postulantibus, sub eadem decreti lege communicare queat, suppressis semper denunciatoris, censorisque nominibus.

§. 13. Examinandis, corrigendisque libris peropportuna fuit, quæ decem Regulis Indicis a Patribus Tridentinæ Synodi confectis, atque editis continentur. In Instructione autem felicitis recordationis Clementis Papæ VIII. eisdem Regulis adjecta, *Tit. de correctione librorum §. V.* Episcopis, & Inquisitoribus cura committitur, ut ad librorum edendorum examen *spectatæ pietatis & doctrinæ viros adhibeant, de quorum fide, & integritate sibi polliceri queant, nihil eos gratiæ daturus,*

nihil odio, sed omni humano affectu posthabito, Dei dumtaxat gloriam spectaturos, & fidelis populi utilitatem. His porro virtutibus, animique dotibus, si non majori, at pari certe de causa, præstare oportet hujus nostræ Congregationis Revisores, & Consultores. Cumque eos omnes, qui nunc hujusmodi munera obtinent, tales esse non ignoremus; optandum, sperandumque est, non ab similes deinceps futuros, qui ad id eligentur; homines nimirum vitæ integros, probatæ doctrinæ, maturo judicio, incorrupto affectu, ab omni partium studio, personarumque acceptione alienos; qui æquitatem, libertatemque judicandi, cum prudentia, & veritatis zelo conjungant. Cum autem eorum numerus nunc certus, & constitutus non sit; ab ejusdem Congregationis Cardinalibus consilium expectabimus, atque capiemus, num eum pro futuris temporibus definire oporteat, vel expediat: hoc tamen jam nunc decernentes, quatenus eorum numerus definiatur, ut tam Relatores, quam Consultores, ex utroque Clero, seculari nempe, & regulari, assumantur, alii quidem Theologi, alii utriusque juris periti, alii sacra, & prophana eruditione præstantes, ut ex eorum cœtu, pro varietate librorum, qui ad Congregationem deferuntur, idonei viri non desint ad ferendum de unoquoque judicium.

§. 14. Ipsos autem Relatores, Consultoresque, tam nunc existentes, quam in posterum quandocumque futuros, monemus, ac vehementer hortamur, ut in examine, judicioque librorum, sequentes Regulas diligenter inspiciant, accurateque custodiant.

§. 15. I. Meminerint, non id sibi muneris, onerisque impositum, ut libri ad examinandum sibi traditi proscriptionem modis omnibus curent, atque urgeant; sed ut diligenti studio, ac sedato animo ipsum expendentes, fideles observationes suas, verasque rationes Congregationi suppeditent, ex quibus rectum judicium de illo ferre, ejusque proscriptionem, emendationem, aut dimissionem pro merito decernere valeat.

§. 16. II. Tametsi hætenus cautum sit, cavendumque deinceps non dubitemus, ut ad referendum, & consulendum in prædicta Congregatione, ii solum admittantur, qui

qui scientiam rerum, quas libri delati respective continent, diuturno studio acquisitam possideant; decet enim de artibus solos artifices judicare; nihilominus si forte eveniat, ut alicui per errorem materia aliqua discutienda committatur, ab illius peculiaribus studiis aliena, idque a censore, aut Consultore electo, ex ipsa libri lectione deprehendatur; noverit is, se neque apud Deum, neque apud homines culpa vacaturum, nisi quamprimum id Congregationi, aut Secretario aperiat, seque ad ferendam de hujusmodi libri censuram minus aptum professus, alium magis idoneum ad id muneris subrogari curet: quo tantum abest, ut existimationis suæ dispendium apud Pontificem, & Cardinales passurus sit, ut magnam potius probitatis, & Candoris opinionem, & laudem sibi sit conciliaturus.

§. 17. III. De variis opinionibus, atque sententiis in unoquoque libro contentis, animo a præjudiciis omnibus vacuo, judicandum sibi esse sciant. Itaque nationis, familiæ, scholæ, instituti affectum excutiant; studia partium seponant; Ecclesiæ sanctæ dogmata, & communem Catholicorum doctrinam, quæ Conciliorum generalium decretis, Romanorum Pontificum Constitutionibus, & Orthodoxorum Patrum, atque Doctorum consensu continetur, unice præ oculis habeant; hoc de cætero cogitantes, non paucas esse opiniones, quæ uni scholæ, instituto, aut nationi certo certiores videntur, & nihilominus, sine ullo fidei aut religionis detrimento, ab aliis Catholicis viris rejiciuntur, atque impugnantur; oppositæque defenduntur, sciente, ac permittente Apostolica Sede, quæ unamquamque opinionem hujusmodi in suo probabilitatis gradu relinquit.

§. 18. IV. Hoc quoque diligenter animadvertendum monemus, haud rectum judicium de vero auctoris sensu fieri posse, nisi omni ex parte illius liber legatur; quæque diversis in locis posita, & collocata sunt, inter se comparentur; universum præterea auctoris consilium, & institutum attente dispiciatur; neque vero ex una, vel altera propositione a suo contextu divulsa, vel seorsim ab aliis, quæ in eodem libro continentur, considerata, & expensa, de eo pronunciandum esse: sæpe enim

enim accidit, ut quod ab auctore in aliquo operis loco perfunctorie, aut subobscurè traditum est, ita alio in loco distinctè, copiose, ac dulcè explicetur, ut offusæ priori sententiæ tenebræ, quibus involuta pravi sensus speciem exhibebat, penitus dispellantur, omnisque labis expers propositio dignoscatur.

§. 19. V. Quod si ambigua quædam exciderint auctori, qui alioquin Catholicus sit, & integra religionis, doctrinæque fama, æquitas ipsa postulare videtur, ut ejus dicta benigne, quantum licuerit, explicata, in bonam partem accipiantur.

§. 20. Has porro, similesque regulas, quæ apud optimos Scriptores de his agentes facile occurrunt, semper animo propositas habeant censores & Consultores; quo valeant, in hoc gravissimo judicii genere, conscientiam suam, auctorum famam, Ecclesiæ bono, & Fidelium utilitati consulere. Duo autem reliqua sunt in eum finem plane opportuna, quæ hoc loco adjungenda omnino esse judicamus.

§. 21. Prodeunt aliquando libri, in quibus falsa, & reprobata dogmata, aut systemata, religioni, vel moribus exitiosa, tamquam aliorum inventa, & cogitata. exponuntur, & referuntur, absque eo quod auctor, qui opus suum pravis hujusmodi mercibus onorare satagit, ea refutandi curam in se recipiat. Putant vero, qui talia agunt, nulli sese reprehensioni, aut censuræ obnoxios esse, propterea quod de alienis, ut ajunt, opinionibus nihil ipsi affirmant, sed historice agant. At quidquid sit de eorum animo, & consilio, deque personali in eos animadversione, de qua viderint, qui in Tribunalibus ad coercenda crimina institutis jus dicunt, dubitari certe non potest, magnam ejusmodi libris in Christianam rempublicam labem, ac perniciem inferri; quum incautis lectoribus venena propinent, nullo exhibitio, vel parato, quo præferrentur, antidoto. Subtilissimum hoc humanæ malitiæ inventum, ac novum seductionis genus, quo simplicium mentes facile implicantur, quam diligentissime Revisores advertant, ac censuræ subjiciant; ut, vel hujusmodi libri, si aliqua ex ipsis capi possit utilitas, emendantur, vel in vetitorum Indicem omnino referantur.

§. 22.



§. 22. In ea, quam superius laudavimus, prædecessoris nostri clementis Papæ VIII. Instructione, Tit. de correct. l. §. 2. sapientissime cautum legitur, ut *quæ fame proximorum, & præsertim Ecclesiasticorum, & Principum, detrahunt, bonisque moribus, & Christianæ discipline sunt contraria, expungantur.* Et paulo post: *faciæ etiam, aut dictæria, in perniciem, aut præjudicium famæ, & existimationis aliorum jactata, repudientur.* Utinam vero in aspectum, lucemque hominum libri ejusmodi in hac temporum licentia, & pravitate non afferrentur, in quibus dissidentes auctores mutuis se jurgiis, conviciisque proscindunt; aliorum opiniones nondum ab Ecclesia damnatas censura perstringunt, adversarios, eorumque scholas, ac cœtus sugillant, & pro ridiculis ducunt, magno equidem bonorum scandalo, hæreticorum vero contemptu, qui digladiantibus inter se Catholicis, seque mutuo lacerantibus, plane triumphant. Etsi vero fieri non posse intelligamus, ut disputationes omnes e mundo tollantur, præsertim cum librorum numerus continenter augeatur: *faciendi enim plures libros nullus est finis*, ut est apud Ecclesiasten cap. 12. ; compertum præterea nobis sit, magnam aliquando utilitatem ex iis capi posse; modum tamen in defendendis opinionibus, & Christianam in scribendo moderationem servari merito volumus. *Non inutiliter* (inquit Augustinus in Enchirid. cap. 59. prope finem) *exercentur ingenia, si adhibeatur disceptatio moderata, & absit error opinantium se scire quod nesciunt.* Qui veritatis studium, & purioris doctrinæ zelum, quo suarum scripturum mordacitatem excusent, obtendere solent, ii primum intelligant, non minorem habendam veritatis, quam Evangelicæ mansuetudinis, & Christianæ charitatis rationem. Charitas autem de corde puro, patiens est, benigna est, non irritatur, non æmulatur, non agit perperam, ( utque addit idem Augustinus, Lib. contra Litteras Petiliani cap. 29. num. 31. ) *sine superbia de veritate præsumit, sine sevitia pro veritate certat.* Hæc magnus ille non veritatis minus, quam charitatis doctor, & scripto, & opere præmonstravit. Nam in suis adversus Manichæos, Pelagianos, Dona-

tistas, aliosque tam sibi, quam Ecclesiæ adversantes, assiduis conflictationibus, id semper diligentissime cavet, ne quempiam eorum injuriis, aut conviciis læderet, atque exasperaret. Qui secus scribendo, vel disputando fecerit, is profecto nec veritatem sibi præcipue cordi esse, nec charitatem sectari se ostendit.

§. 23. Ii quoque non satis idoneam, justamque excusationem afferre videntur, qui ob singulare, quod profitentur, erga veteres Doctores studium, eam sibi scribendi rationem licere arbitrantur; nam si carpere novos audeant, forte ab lædendis veteribus sibi minime temperassent, si in eorum tempora incidissent; quod præclare animadversum est ab Auctore Operis imperfecti in Matthæum Hom. 42. : *Cum audieris, inquit, aliquem beatificantem antiquos Doctores, proba, qualis sit circa suos doctores: Si enim illos, cum quibus vivit, sustinet, & honorat, sine dubio illos, si cum illis vixisset, honorasset: si autem suos contemnit, si cum illis vixisset, & illos contempsisset.* Quamobrem firmum, ratumque sit omnibus, qui adversus aliorum sententias scribunt, ac disputant, id quod graviter, ac sapienter a Ven. ser-vo Dei prædecessore nostro Innocentio Papa XI. præscriptum est in Decreto edito die secunda Martii anni millesimi sexcentissimi septuagesimi noni: *Tandem, inquit, ut ab injuriosis contentionibus Doctores, seu Scholastici, aut alii quicumque in posterum abstineant, ut paci, & charitati consulatur, idem Sanctissimus in virtute sanctæ obedientiæ eis præcipit, ut tam in libris imprimendis, ac manuscriptis, quam in thesibus, ac prædicationibus, caveant ab omni censura, & nota, nec non a quibuscumque conviciis contra eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos controvertuntur, donec a sancta Sede recognitæ sint, & super eis judicium proferatur.* Cohibetur itaque ea scriptorum licentia, qui, ut agebat Augustinus lib. 12. Conf. cap. 25. num. 34. *sententiam suam amantes, non quia vera est, sed quia sua est, aliorum opiniones non modo improbant, sed illiberaliter etiam notant, atque traducunt.* Non feratur omnino, privatas sententias, veluti certa ac definita Ecclesiæ dogmata, a quopiam in libris obtrudi, oppositas ve-

ro erroris infimulari; quo turbæ in Ecclesia excitantur, dissidia inter Doctores aut feruntur aut foventur, & Christianæ charitatis vincula persæpe abrumpuntur.

§. 24. Angelicus scholarum princeps, Ecclesiæque Doctor S. Thomas Aquinas, dum tot conscripsit nunquam satis laudata volumina, varias necessario offendit Philosophorum, Theologorumque opiniones, quas veritate impellente refellere debuit. Cæteras vero tanti Doctoris laudes id mirabiliter cumulat, quod adversariorum neminem parvipendere, vellicare, aut traducere visus sit, sed omnes officiose, ac perhumaniter demereri; nam si quid durius, ambiguum, obscurumve eorum dictis subesset, id leniter, benigneque interpretando, emolliebat, atque explicabat. Si autem religionis, ac fidei causa postulabat, ut eorum sententiam exploderet, ac refutaret, tanta id præstabat modestia, ut non minorem ab iis dissentiendo, quam Catholicam veritatem asserendo, laudem mereretur. Qui tam eximio uti solent, ac gloriari Magistro ( quos magno numero esse, pro singulari nostro erga ipsum cultu, studioque, gaudemus ) ii sibi æmulandum proponant tanti Doctoris in scribendo moderationem, honestissimamque cum adversariis agendi, disputandique rationem. Ad hanc ceteri quoque sese componere studeant, qui ab ejus schola, doctrinaque recedunt. Sanctorum enim virtutes omnibus in exemplum ab Ecclesia propositæ sunt. Cumque Angelicus Doctor Sanctorum albo adscriptus sit, quamquam diversa ab eo sentire liceat, ei tamen contrariam in agendo, ac disputando rationem inire omnino non licet. Nimium interest publicæ tranquillitatis, proximorum ædificationis, & charitatis, ut e Catholicorum scriptis absit livor, acerbitas, atque scurrilitas, a Christiana institutione, ac disciplina, & ab omni honestate prorsus aliena. Quamobrem in hujusmodi scriptorum licentiam graviter pro munere suo censuram intendant revisores librorum, eamque Congregationis Cardinalibus cognoscendam subjiciant, ut eam pro zelo suo, & potestate coerceant.

§. 25. Quæ hæctenus a nobis proposita, ac constituta sunt, prædecessorum nostrorum decretis plane consoua,

Con

Congregationum quoque nostrarum legibus, & consuetudinibus comprobata, in librorum examine, ac iudicio instituendo, Apostolica auctoritate deinceps servari decernimus: mandantes universis, & singulis, qui in præfatis Congregationibus locum obtinent, seu illis quomodolibet operam suam præstant, ut adversus præmissa sic a nobis statuta nihil edicere, innovare, decernere, aut intentare præsumant, absque nostra, vel successorum nostrorum pro tempore existentium Romanorum Pontificum expressa facultate.

§. 26. Non obstantibus contrariis quibusvis, etiam Apostolicis Constitutionibus, & ordinationibus, necnon earundem Congregationum, etiam Apostolica auctoritate, seu quavis firmitate alia roboratis decretis, usibus, stylis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, cæterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

§. 27. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrorum decretorum, mandatorum, statutorum, voluntatum, ac derogationum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quinquagesimo tertio, septimo Idus Julii, Pontificatus nostri anno tertio decimo.

D. Card. Passioneus.

J. Datarius.

V I S A


De Curia J. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Loco † Plumbi.

*Registrata in Secretaria Brevium.*

DE.



DECRETA  
DE LIBRIS PROHIBITIS,  
N E C

IN INDICE NOMINATIM EXPRESSIS.



Um non omnes libri, qui vi Constitutionum Apostolicarum, aut Decretorum Congregationum S. Officii, & Indicis prohibiti sunt, singillatim describi in Indice propter eorum ingentem numerum possint: necessarium visum est, hujusmodi libros ad certa quædam capita revocare, ac per materias, de quibus agunt, eorum veluti Indicem conficere, ut, si quod circa librum aliquem in Indice non descriptum, aut in Regulis ejusdem Indicis non comprehensum, exoritur dubium, intelligi possit, utrum inter prohibitos sit computandus.

## § I.

*Libri ab Hæreticis scripti, vel editi, aut ad eos, sive ad Infideles pertinentes prohibiti.*

1. **A** Genda, seu Formulæ precum, aut Officia eorundem.
2. Apologiæ omnes, quibus eorum errores vindicantur, sive explicantur, & confirmantur.
3. Biblia sacra eorum opera impressa, vel eorundem Annotationibus, Argumentis, Summariis, Scholiis, & Indicibus aucta.
4. Biblia sacra, vel eorum partes ab iisdem metricè conscriptæ.
5. Calendaria, Martyrologia, ac Necrologia eorundem.
6. Carmina, Narrationes, Orationes, Imagines, libri, in quibus eorum fides, ac religio commendatur.
7. Catecheses, & Catechismi omnes, quamcumque inscriptionem præferant sive librorum Abecedariorum, sive Explicationum Symboli Apostolici, præceptorum Decalogi, sive Instructionum, ac Institutionum Religionis Christianæ, Locorum Communium, &c.
8. Colloquia, Conferentiæ, Disputationes, Synodi, Acta Synodalia de fide, & fidei dogmatibus ab eisdem edita, & in quibus explicationes quæcumque eorum errorum continentur.
9. Confessiones, Articuli, sive Formulæ fidei eorundem.
10. Dictionaria autem, Vocabularia, Lexica, Glossaria, Thesauri, & similes libri ab iisdem scripti, sive editi, ut Henrici, & Caroli Stephani, Joannis Scapulæ, Joannis Jacobi Hofmanni &c. non permittuntur, nisi deletis iis, quæ habent contra religionem Catholicam.
11. Instructionum, & Rituum sectæ Mahometanæ libri omnes.

## §. II.

## §. II.

*Libri certorum Argumentorum prohibiti.*

1. **D**E materia Auxiliorum Divinorum libri, vel compositiones ex professo, vel incidenter, aut prætextu commentandi S. Thomam, vel quemlibet alium Doctorem, aut alia quavis occasione tractantes, impressi nulla obtenta licentia a Congregatione S. Officii.

2. De Beatæ Mariæ Virginis Conceptione libri omnes, Conciones, Disputationes, Tractatus impressi post annum 1617. in quibus asseritur, B. Virginem Mariam cum originali peccato conceptam esse; vel in quibus affirmatur, opinantes, B. Virginem fuisse in originali peccato conceptam, esse hæreticos, vel impios, vel peccare mortaliter.

3. Declarationes, Decisiones, Interpretationes Congregationis Concilii Tridentini, earumque Collectiones tam impressæ, quam imprimendæ, e mentito ipsius Congregationis nomine.

4. De Controversia exorta inter Episcopum Chalcedonensem, & Regulares Angliæ libri omnes, & singuli tractatus impressi, sive manuscripti, & omnia alia, quæ spectant directe, vel indirecte ad prædictam controversiam. Per hoc autem Decretum nihil intendit sacra Congregatio statuere de meritis causæ, vel ulli auctori, aut operi ignominiam aliquam, vel notam malæ doctrinæ inferre.

5. De doctrina libri Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, qui inscribitur *Augustinus*, libri omnes, & libelli aut epistolæ tam impressæ, quam manuscriptæ, seu in posterum edendæ, & publicandæ, in quibus illa eo modo damnata, quo eam damnavit Alexander VII., vel ut est in V. Propositionibus damnata, propugnatur, vel quomodolibet approbatur, aut defenditur.

6. De Constitutione *Unigenitus* Clementis XI. libri, aliaque scripta, in quibus illa subdole eluditur, temere carpitur, aut contemnitur, & impugnatur.

*Item* Libri, sive libelli vel scripti, vel typis editi,

aut



aut edendis in defensionem Libri inscripti: *Le Nouveau Testament en François avec Reflexions morales sur chaque verset*: aut alio titulo: *Abregé de la Morale de l'Evangile* &c.

*Item* Actus, sive Instrumenta Appellationum quæcunque a Constitutione *Unigenitus* ad Concilium generale; nec non Judicia Theologorum, aut Facultatum Theologicarum, sive Academiarum: earumque Deliberationes, Consultationes, Acta, decreta; quorumcumque etiam aliorum Mandata, Ordinationes, Arresta, Epistolæ; Interpretationes etiam, & Declarationes, ac scripta quælibet, quibus explicationis, aut alio quovis prætextu aliquid dicitur, vel scribitur, quo dictæ Constitutionis robur, atque auctoritas, & obligatio minui, aut infringi possit.

7. De Duellis agentes libri, litteræ, libelli, scripta, in quibus eadem duella defenduntur, suadentur, docentur. Si qui vero hujusmodi libri ad controversias sedandas, pacesque componendas utiles esse possunt, expurgati, & approbati permittuntur.

8. De Joannis Calà asserti Anachoretæ prætenfa sanctitate, miraculis, vaticiniis, visionibus, aliisque hujusmodi signis libri, codices, & folia quæcumque sive manuscripta, sive impressa.

*Item* Omnia & singula transumpta, seu copiarum tam impressæ, quam manuscriptæ Decreti a Vicario Generali Cassanensi emanati, per quod idem Vicarius ausus fuit definitive pronunciare, eundem Joannem fuisse in quasi possessione cultus, atque ideo in eo manutenendum.

9. Libri omnes Immunitatem Bonorum Ecclesiasticorum impugnantes.

10. De Laminis plumbeis Arabico sermone, & antiquis characteribus conscriptis, ac in cavernis montis Illipulitani, dicti Sacri, prope Granatam repertis, & de Scripturis in turri Torpiana ejusdem civitatis inventis, libri omnes, Tractatus, Responsa, Consulta, Commentarii, Glossæ, Additamenta, Annotationes, & quæcumque alia, sive manuscripta, sive typis impressa. Alii vero libri, sive tractatus, qui ad alia argu-

men-



menta spectant, obiter vero de his Laminis, vel de earum doctrina tractant, permittuntur, expunctis locis, quæ de his Laminis agunt.

11. De SS. Apostolis Petro, & Paulo libri omnes tam impressi, quam manuscripti, in quibus asseritur, & defenditur, quod S. Petrus, & S. Paulus sunt duo Ecclesiæ Principes, qui unicum efficiunt: vel sunt duo Ecclesiæ Catholicæ Coryphæi, ac supremi Duces summa inter se unitate conjuncti: vel sunt geminus universalis Ecclesiæ vertex, qui in unum divinissime coaluerunt: vel sunt duo Ecclesiæ summi Pastores, ac Præsides, qui unicum caput constituunt; atque hæc ita explicantur, ut ponatur omnimoda æqualitas inter S. Petrum, & S. Paulum sine subordinatione S. Pauli ad S. Petrum in potestate suprema universalis Ecclesiæ.

12. De vera, & non interrupta successione filiorum S. Francisci, & de vera forma Caputii ejusdem libri omnes impressi, & qui inconsulta sacra Congregatione imprimentur, tractantes hanc eandem controversiam.

13. Pasquilli omnes ex verbis sacrae Scripturae confecti.

*Item* Pasquilli omnes etiam manuscripti, omnesque conscriptiones, in quibus Deo, aut Sanctis, aut Sacramentis, aut Catholicæ Ecclesiæ, & ejus cultui, aut Apostolicæ Sedi quomodocumque detrahitur.

14. Libri omnes agentes, ut vulgo dicitur, *delle venture, e delle sorti.*

### §. III.

#### *Imagines, & Indulgentiæ prohibita.*

1. **I**magines cum laureolis, aut radiis, sive splendoribus, eorum, qui neque canonizationis, neque beatificationis honore insigniti sunt a Sede Apostolica.

2. Imagines Domini nostri Iesu Christi, & Deiparæ Virginis Mariæ, ac Angelorum, Evangelistarum, aliorumque Sanctorum, & Sanctarum quorumcumque sculptæ, aut pictæ cum alio habitu, & formâ, quam in Catholica, & Apostolica Ecclesia ab antiquo tempore

con-

consuevit, vel etiam cum habitu peculiari alicujus ordinis Regularis.

3. Imagines; Numismata inculpta pro Confraternitatibus Mancipiorum Matris Dei, Italice *Schiavi della Madre di Dio*, sodales catenatos exprimentia.

Item Libelli, in quibus eisdem Confraternitatibus regulæ præscribuntur. Confraternitates autem, quæ catenulas distribuunt confratribus, & consororibus, brachiis, & collo circumponendas, atque gestandas, ut eo signo Beatissimæ Virgini emancipatos se esse profiteantur, & quarum institutum in eo mancipatu præcipue versatur, damnantur, & extinguuntur. Societatibus vero, quæ ritum aliquem, aut quodcumque aliud ad mancipatum ejusmodi pertinens adhibent, præcipitur, ut id statim rejiciant.

4. Imagines, catenulæ, folia, libelli pro usu Confraternitatum sub invocatione SS. Sacramenti, B. Mariæ Virginis Immaculatæ, & S. Joseph sub titulo *Gregis boni Pastoris* erectarum, & in quibus repræsentantur homines penduli a Christo, a sacra Pyxide, a B. Virgine, a S. Josepho, & a quovis alio Sancto.

5. Imagines, ubi repræsentatur puer Jesus in sublime elatus, & sub ipso tres Ecclesiæ Doctores, & in locum aliorum trium (qui repræsentantur in Imaginibus ejusdem formæ jam pridem impressis) substituti sunt tres Presbyteri Regulares cum his versibus: *Jesu Doctorum intima, qui nubes ignorantie pellis virore gratie &c.*

6. Imagines sive depictæ, sive sculptæ, sive impressæ Joannem Calà quocunque sanctitatis, vel beatitudinis signo repræsentantes.

7. Imagines, ubi repræsentatur B. Virgo cum Filio in medio duorum Sanctorum Societatis Jesu, quorum uni tradit librum, alii Rosarium cum hac inscriptione: *Deipara Virgo cum Filio inspirat, commendatque Societati Jesu institutionem Sodalitatum, & Officii, Rosarii que usum.*

8. Inscriptiones omnes Imaginum SS. Francisci, & Antonii de Padua, in quibus dicitur, formam habitus, qua depicti sunt, esse eandem, qua ipsi usi fuerunt:

runt: vel in quibus asseritur, in hoc vel illo ordine S. Francisci esse veram, legitimam, & non interruptam ejusdem S. Patris in filios successionem.

9. Indulgentiæ omnes concessæ coronis, granis, seu calculis, crucibus, & imaginibus sacris ante Decretum Clementis VIII. an. 1597. editum *de forma Indulgentiarum*.

*Item* Indulgentiæ omnes concessæ quibuscumque Regularium ordinibus, Confraternitatibus secularibus, Capitulis, Collegiis, aut eorum Superioribus, ante Constitutionem ejusdem Clementis VIII. *Quæcumque* d. 7. Decemb. 1604., & Pauli V. *Romanus Pontifex* d. 13. Maji 1606., & *Quæ salubriter* d. 23. Novemb. 1610. revocatæ sunt, atque apocryphæ habendæ, nisi ab iisdem summis Pontificibus, aut eorum successoribus renovatæ, ac confirmatæ fuerint.

10. Indulgentiæ concessæ coronis S. Birgittæ ab Alexandro VI., declarantur apocryphæ, & nullius roboris, ac momenti: sine præjudicio tamen Indulgentiarum a Leone X. dictis coronis concessarum vi. Id. Jul. 1515.

11. Indulgentiæ concessæ crucibus S. Turibii ab Urbano VIII., tamquam falsæ habendæ sunt.

12. Indulgentiarum libri omnes, Diaria, Summaria, libelli, folia &c., in quibus earum concessiones continentur, non edantur absque licentia S. Congregationis Indulgentiarum.

#### §. IV.

*Quædam ad Ritus Sacros spectantia,  
quæ prohibita sunt.*

1. **B**enedictiones omnes Ecclesiasticæ, nisi approbatæ fuerint a sacra Rituum Congregatione.

2. Exorcismorum formulæ diversæ ab iis, quæ præscribuntur in Regulis Ritualis Romani, & earumdem usus, absque prævio examine coram Ordinario.

3. Litanæ omnes, præter antiquissimas, & communes, quæ in Breviariis, Missalibus, Pontificalibus, ac

Ri-

Ritualibus continentur, & præter Litanias de B. Virgine, quæ in sacra æde Lauretana decantari solent.

4. Missalis Romani omnia exemplaria alterata post edictum Pii V., præsertim quæ *Venetis* apud *Junctas*, *Sessas*, *Mysserinum*, & *ad Signum Syrenæ*, atque *Europæ*, & quoscumque alios impressa sunt ab anno 1596.

5. Officia B. Mariæ Virginis, vel Sanctorum, aut Sanctarum, aliaque hujusmodi absque approbatione S. Rituum Congregationis edita, vel edenda.

6. De Ritibus Sinicis, eorumque controversiis, aut illorum occasione exortis, libri, libelli, Relationes, Theses, folia, & scripta quæcumque post diem 2. Octobris 1710. edita, in quibus ex professo, vel incidenter, quomodolibet de iis tractetur, sine expressa, & speciali licentia Romani Pontificis in Congregatione sanctæ, & universalis Inquisitionis obtinenda.

7. Rituali Romano additiones omnes factæ, aut faciendæ post reformationem Pauli V., sine approbatione S. Congregationis Rituum.

8. Rosaria quæcumque de novo inventa, aut inveniendæ, sine opportuna S. Sedis facultate, quibus authenticum Rosarium Deo, & B. Mariæ Virgini sacrum antiquaretur.



# I N D E X

## LIBRORUM

### PROHIBITORUM.

#### A



Baelardus, seu Abailardus Petrus. i. Cl.  
*Ind. Trident.*

de Abano, seu de Apono Petrus. Geo-  
mantia.

— Heptameron, seu Ele- } *Append.*  
menta Magica. } *Indic.*

— *Et ejusdem de omni genere Divinationis* } *Trident,*  
*Opera.* }

Abbadie Jacques. *Traité de la Verité de la Religion*  
*Chrétienne. Partie I. II. & III. Decret 22. De-*  
*cembris 1700., & 12. Martii 1703.*

A.B.C. *idest libellus tractans rudimenta Religionis, & duo*  
*tantummodo Sacramenta commemorans. App. Ind. Trid.*

A. B. C. *Latino, vel Flandrico idiomate, ubi secunda*  
*pars Salutationis Angelicæ mutata est, & omissis ver-*  
*bis: Sancta Maria Mater Dei: substituta sunt hæc*  
*alia: Maria Mater Gratia, Mater Misericordia.*  
*Decr. 9. Septemb. 1688.*

Ablas des kleinen privilegirten, und mit sonderen gna-  
den begabten Rosen-Krantzlein deren Closter-  
Frauen von der Verkündigung Marie &c. *Idest:*  
*Indulgentia parvi privilegiati, & specialibus gratiis*  
*donati Rosarioli Monialium de Annuntiatione Beatif-*  
*simæ Virginis Mariæ, concessæ ab Alexandro VI.,*  
*Julio II., & Leone X. Decr. S. Congr. Indulg. 3.*  
*Aug. 1750.*

Abominations Papatus, seu invicta demonstratio Pa-  
pam Romanum esse Antichristum. *Decr. 21. Apr. 1693.*

Abregé Chronologique de l' Histoire Ecclesiastique, *Decr.*  
*20. Novembris 1752.*

A

Ab-

2 INDEX LIBRORUM

Abregé de l'Histoire Ecclesiastique contenant les événemens considerables de chaque siecle, avec des reflexions. *Decr. 21. Novembris 1757.*

Abregé de la Morale de l'Evangile, des Actes des Apostres, des Epistres de S. Paul, des Epistres Canoniques, & de l'Apocalypse; ou Pensées Chrétiennes sur le texte de ces livres sacrez. *Brevi Clement. XI. 13. Jul. 1708., & Bulla Unigenitus die 8. Septembris 1713.*

— *Idem aliter*: Le Nouveau Testament en Francois. *Vide Testament.*

Abregé des Memoires donnez au Roy sur la reunion de l'Ordre, & grande Maistrise de S. Jean de Jerusalem (maintenant de Malthe) à la Couronne, sans porter prejudice à la Noblesse de France. *Decr. 12. Apr. 1628.*

Abstemius Laurentius. *Fabulæ. Ind. Trid.*

Abus (Divers) & nullités du Decret de Rome du 4. Octobre 1707. au sujet des affaires de l'Eglise Catholique des Provinces-unies. *Decr. 22. Jun. 1712.*

l'Accomplissement des Propheties, ou la delivrance prochaine de l'Eglise; ouvrage dans le quel il est prouvé, que le Papisme est l'Empire Antichrétien. Par le S.P.J. P. E. P. E. Th. A. R. Tom. I. & II. ) *Decret. 4. Martii 1709.*  
 — Suite de l'Accomplissement des Prophe- ) *21. Jan. 1732.*  
 ties, ou amplification des preuves hi- )  
 storiques, qui font voir, que le Papisme )  
 est l'Antichristianisme. )

Achmetes Sereimi F. *Oneirocritica cum notis Nicolai Rigaltii. Decr. 3. Julii 1623.*

Achridenus, seu Acridanus Leo. *i. Cl. App. Ind. Trid.*

Acontius Jacobus. *i. Cl. App. Ind. Trid.*

— *Stratagematum Satanæ libri octo. App. Ind. Trid.*

Acosta Jerome. *Vide Costa.*

Acta Concilii Tridentini ann. 1546. celebrati, una cum annotationibus piis, & lectu dignissimis. *App. Ind. Trid.*

Acta Eruditorum Lipsiæ. *Ab anno 1682. ad annum 1751. inclusive.* ) *Decret. ab ann.*

Sup.

PROHIBITORUM.

- Supplementa ad acta Eruditorum ) 1685. *ad ante*  
 Lipsiæ. usque ad ann. 1749 inclusive. ) 1757.
- Acta Legationis Ducis Niverniæ ad Clementem VIII.  
 Pontificem Romanum. *Decr.* 7. *Aug.* 1603.
- Acta, & Scripta Theologorum Wirtembergensium, &  
 Patriarchæ Constantinopolitani D. Hieremiæ, quæ  
 utrique ab ann. 1576. usque ad ann. 1580. de Au-  
 gustana Confessione inter se miserunt. *App. Ind. Trid.*
- Acta quædam Ecclesiæ Ultrajectinæ exhibita in defen-  
 sionem jurium Archiepiscopi. & Capituli ejusdem  
 Ecclesiæ, adversus Scriptum Cardinalis Archiepisco-  
 pi Mechliniensis. *Decr.* 13. *Aprilis* 1739.
- Acte d' Appel interjecté le 1. Mar. 1717. par les Il-  
 lustriss. & Reverendiss. Evêques de Mirepoix, de  
 Senes, de Montpellier, & de Boulogne au futur  
 Concile general de la Constitution de N. S. Pe-  
 re le Pape Clement XI. du 8. Septembre 1713.  
*Decr.* 16. *Febr.* 1718.
- Acte d' Appel interjecté par le Procureur general de Lor-  
 raine, & Barrois de l'exécution du Bref. du 22. Se-  
 ptembre dernier, rendu contre l'Ordonnance de  
 S. A. R. du mois de Juillet 1707. de N. S. P. le Pape  
 Clement. XI. *Brevi Clement. XI.* 11. *Februarii* 1704.
- Actio in Henricum Garnetum Societatis Jesuiticæ in  
 Anglia Superiorem. *Decr.* 7. *Sept.* 1609.
- Actiones duæ Secretarii Pontificii, quarum altera di-  
 sputat, an Paulus Papa IV. debeat cogitare de in-  
 staurando Concilio Tridentino; altera vero, an vi,  
 & armis possit deinde imperare Protestantibus ipsius  
 Concilii decreta. *Ind. Trid.*
- Actiones, & monumenta Martyrum eorum, qui a Wi-  
 clefo, & Hufs ad nostram hanc Ætatem in Ger-  
 mania, Gallia, Britannia, & ipsa demum Hispa-  
 nia veritatem Evangelicam sanguine suo constan-  
 ter obsignaverunt. *App. Ind. Trid.*
- d'Adamo Antonio. Anotomia della Messa. *Ind. Trid.*
- Adamus Cornelius. Exercitationes exegeticæ de Israelis  
 in Ægypto multiplicatione, nativitate Mosis, con-  
 versione S. Pauli, malisque Romæ paganæ, &  
 hodiernæ moribus. *Dec.* 4. *Decemb.* 1725.

- Adamus Melchior. Vitæ Germanorum Theologorum } *Decr.*  
 — Decades duæ continentés vitas Theologorum exterorum principum. } 12. *Dec.*  
 } 1624.
- Addisson Mr. (*Joseph*). Remarques sur divers Endroits d'Italie pour servir de quatrieme tome au voyage de Monsieur Misson. *Decr.* 18. *Julii* 1729.
- Adeodatus Presbyter. *Epistola* Compresbyteris de Clero per fœderatum Belgium, D. Theodorum Cockium ut Provicarium non recipientibus. *Brevi Clement.* XI. 4. *Octob.* 1707.
- Adler, seu Aquila Gaspar. i. *Cl. App. Ind. Trid.*
- Admonitio ( Amica, humilis, & devota ) ad gentem sanctam de corrigendo Canone Missæ. *Vide Flacius.*
- Admonitio Ministrorum verbi, & fratrum Argentinesium. *Vide Vervvarnung.*
- Advis charitable formè aux Peres Penitens du Tiers Ordre de S. François sur la persecution qu' ils font aux Peres Capucins. *Decr.* 10. *Jun.* 1659.
- Ægidius Petrus. *Vide Scribonius.*
- Æmilius [ Alphonfus ] Chemnicensis. i. *Cl. Ind. Trid.*
- Æmilius [ Georgius ] Mansfeldensis. i. *Cl. Ind. Trid.*
- Ænetius Jacobus. i. *Cl. App. Ind. Trid.*
- Æpinus, seu Hepinus Joannes. i. *Cl. Ind. Trid.*
- Ærodus Petrus. De Patrio Jure. *Dec.* 22. *Octob.* 1619.
- Æsina facti, & juris ( Sacræ Congregationis supremæ, ac S. universalis Inquisitionis de Urbe ) pro justitia Edicti moderni Episcopi Æsini prohibentis quemdam libellum in civitate, & tota diœcesi anno 1698. *Decr.* 17. *Jan.* 1703.
- S. Agobardi opera. *Vide Massonus.*
- Agricola Bartholomæus. De Ætate ineuntium officia. } *Decret.*  
 — Symbolum Pythagoricum, seu de justitia in forum reducenda Prodromus, seu liber I. } 2. *Dec.*  
 } 1622.
- Agricola [ Joannes ] Islebius. i. *Cl. Ind. Trid.*
- Agricola Martinus. i. *Cl. App. Ind. Trid.*
- Agrippa Henricus Cornelius. i. *Cl. Ind. Trid.*
- Alabaster Guilielmus. Apparatus in revelationem Jesu Christi



PROHIBITORUM.

- Christi. *Nisi fuerit ex correctis ab auctore, & impressis Romæ. Decr. 30. Jan. 1610.*
- de Alamin Fr. Felix. *Espejo da verdadera, y falsa contemplacion. Decr. 4. Mart. 1709.*
- Alanus Magnus de Insulis. *Explanationum in Prophetiam Ambrosii Merlini Britanni libri VII. Decr. 22. Decemb. 1700.*
- Albani Joh. Franc. *Neniæ Pontificis de jure Reges appellandi. Una cum opusculo eidem adjecto, quod inscribitur: Perillustris cujusdam viri eidem Diplomati Clementino oppositus libellus. Romæ novæ, typis Aldinis 1706.: Qui liber nomen auctoris, typographi, & loci impressionis ementitur. Decr. 21. Januar. 1721.*
- Albanus Ægidius. *Refutatio libelli supplicis R. P. Marci a S. Francisco Carmelitæ discalceati. Decr. 29. Novemb. 1689.*
- Alberius Claudius. *Organon, idest Instrumentum doctrinarum omnium in duas partes divisum. Decr. 16. Decemb. 1605.*
- Alberti Gio: Andrea. *Teopiste ammaestrata secondo gli esempj della madre suor Paola Maria di Giesù Centuriona Carmelitana scalza. Suspensus, donec corrigatur. Decret. 2. Jul. 1693.*
- Alberti Magni de Secretis mulierum libellus. *Qui tamen falso ei adscribitur. Decr. 16. Decem. 1605.*
- Alberti Valentinus. *Interesse præcipuarum Religionum Christianarum in omnibus articulis. Decr. 12. Mart. 1703.*
- *Et reliqua ejusdem Opera de religione tractantia. Decr. 10. Maii 1757.*
- Albertinus Alexander. *Malleus Dæmonum. Decret. 4. Mart. 1709.*
- Alberto Magno diviso in tre libri, nel primo si tratta della virtù delle herbe, nel secondo della virtù delle pietre, nel terzo la virtù di alcuni animali. *Decr. 10. Apr. 1666.*
- Albertus Argentinensis. *Chronicon. Donec corrigatur. App. Iud. Trid.*
- Albertus Brandenburgensis, 1. Cl. Ind. Trid.

## INDEX LIBRORUM

- Alberus Erasmus. 1. Cl. App. Ind. Trid.
- Alberus Matthæus. 1. Cl. Ind. Trid.
- Albinus Petrus Constantius. Magia Astrologica, hoc est Clavis Sympathiæ septem metallorum, & septem selectorum lapidum ad Planetas. Decr. 4. Decemb. 1674.
- Albius, seu ex Albiis Thomas, Vide Anglus.
- Albizzi Maso. Vide Trattato delle Appellazioni.
- Alchimia Purgatorii. Ind. Trid.
- Alciatus Andreas. Epistola contra vitam Monasticam ad Bernardum Mattium collegam olim suum. Decret. 22. Decemb. 1700.
- Alciatus Paulus Joannes. 1. Cl. App. Ind. Trid.
- Alciphron, ou le petit Philosophe en sept dialogues, contenant une apologie de la Religion Chrétienne contre ceux qu'on nomme Esprits forts. Decr. 22 Maii 1745.
- Alcoranus Franciscanorum. Ind. Trid.
- Alcoranus Mahometis. Vide Mahometes.
- Aicuinus. Vide Lossius.
- Alechthrochora Bartholomæus, Dissertatio Theorico-practica de nobilissima, & frequentissima Hanreitarum materia. Decr. 12. Decemb. 1624.
- Alegre [ Marcus Antonius ] de Casanate. Paradisus Carmelitici decoris. Decr. 26. Octob. 1640.
- Alen [ Eadmundus ] Nordovolegius. 1. Cl. App. Ind. Trid.
- Alesius [ Alexander ] Scotus, Lipsiensis Professor. 1. Cl. Ind. Trid.
- d'Alet Evêque, Mandement sur la Signature du Formulaire du 1. Juin 1665. Decr. 5. Januar. 1667.
- Aletheus Theophilus. Polygamia triumphatrix, idest ditcurfus politicus de Polygamia, cum notis Athanasii Vincentii. Decr. 27. Maii 1687.
- Aletophilus Christianus. Artes Jesuiticæ in sustinendis pertinaciter novitatibus, damnabilibusque Sociorum laxitatibus. Decr. 4. Martii 1709.
- Artes Jesuiticæ : editio secunda, media fere parte auctior. Decr. 2. Decemb. 1711.
- Alexander Natalis. Selecta Historiæ Ecclesiasticæ Capita, & in loca ejusdem insignia dissertationes Hi-

Historicæ, Chronologicæ, Criticæ, Dogmaticæ a i. Ecclesiæ sæculo ad xvi. *Brevi Innocent. XI. 10. Jul. 1684, 6. Aprilis 1685., & 26. Febr. 1687.*

- Summa S. Thomæ vindicata. ]
- Dissertationem Ecclesiasticarum Trias. ] *Brevi In-*
- Contra Launojanas circa Simoniam ob- ] *nocent. XI.*
- servationes Animadversio. ] *10. Julii*
- Disertatio Polemica de Confessione Sa- ] *1684.*
- cramentali. ]

*Permittuntur tamen hæc, eadem Opera juxta editionem Lucensem cum notis, & animadversionibus Constantini Roncaglia; sublata etiam excommunicatione lata in predictis Brevibus pro quacumque editione. Decr. 8. Julii 1754.*

Alexicacus Heliodorus. i. *Cl. Ind. Trid.*

Alfabeto litterale, fantasmatico, mistico, acquisito, contemplativo, col quale resta formata risposta circolare ad una Religiosa pusillanime nel dibattimento della contemplazione mistica acquisita. *Decr. 15. Maji 1687.*

Aligherius Dantes. De Monarchia libri tres. *Ind. Trid.*

Allegazioni per la rivocazione dell' Editto publicato da Reverendissimi Vescovi di Catania, Girgenti, e Mazzara in contemplazione della lettera missiva della sacra Congregazione dell' Immunità sopra l' assoluzioni *ad reincidentiam* senza il Regio *Exequatur*. *Decr. 7. Sept. 1712.*

Allegrezze [ Sette ] della Madonna, *quarum initium: Ave Maria Vergine gloriosa più ch'altre &c. App. Ind. Clement. XI.*

Allix Petrus. Dissertatio de Trifagii origine. *Decr. 17. Octob. 1678.*

Alphabeto Christiano, che insegna la vera via d'acquistare il lume dello Spirito Santo. *Ind. Trid.*

Alstedius Johannes Henricus. Systema Mnemonicum duplex. *Decr. 10. Maii 1613.*

— Encyclopædia omnium Scientiarum. *Decret. 18. Junii 1651.*

— *Et reliqua Opera de Religione tractantia. Decr. 10. Maii 1757.*

8 INDEX LIBRORUM

Althamerus Andreas. *i. Cl. Ind. Trid.*

— Commentaria in P. Cornelii Taciti libellum de situ, moribus, populisque Germaniæ. *Donec corrigantur. Dec. 12. Decemb. 1624.*

Althusius Joannes. *Dicælogiæ libri tres, totum, & univertum Jus, quo utimur, complectentes. Decr. 16. Martii 1621.*

— *Politica methodice digesta, & exemplis sacris, & prophanis illustrata* ) *Decr. 22.*

— *De utilitate, necessitate, & antiquitate Scholarum Admonitio panegyrica.* ) *Octob. 1619.*

Alting Henricus. *Theologia Historica, seu Systematis Historici loca quatuor. Decr. 25. Jan. 1684.*

— *Et reliqua ejusdem Opera omnia. Decr. 10. Maii 1757.*

Alting Jacobus. *Opera omnia. Decr. 10. Maii 1757.*

de Alva, & Astorga Petrus. *Naturæ prodigium, Gratiæ portentum, hoc est Seraphici P. Francisci vitæ acta ad Christi D. N. vitam, & mortem regulata, & coaptata. Decr. 24. Novemb. 1655.*

— *Nodus indissolubilis de conceptu mentis, & conceptu ventris.* )

— *Idem aliter. Funiculi nodi indissolubilis de conceptu mentis, & conceptu ventris.* ) *Decr. 22. Junii 1665.*

— *Sol veritatis cum ventilabro Seraphico pro candida aurora Maria.* )

Alvin Joannes. *Elucidatio veritatis in casu fatalium accusationum per quadringentos Fratres coadunatos contra Patres Provinciæ Algarbiorum. Decr. 21. April. 1693.*

d<sup>r</sup> Alvin Stephanus. *De Potestate Episcoporum, Abbatum, aliorumque Pælatrotum Tractatus. Donec corrigatur. Decr. 16. Martii 1621.*

Alviset Virginus. *Murenulæ sacræ vestis sponsæ Regis æterni vermiculata, opus de privilegiis Ordinum Regularium. Decr. 17. Novemb. 1664.*

de Alzedo Mauricius: *De Præcellentia Episcopalis dignitatis, deque Episcopi functionibus, ac potestate. Donec corrigatur. Dec. 18. Decemb. 1646.*

Amama Sixtinus. *Anti-Barbarus Biblicus libro quarto auctus. Decr. 4. Martii 1709.*

de

de S. Amant Mr. La Rome ridicule, Caprice. *Decr.*  
3. *Apr.* 1669.

Amatus Michael. De piscium, atque avium esus con-  
suetudine apud quosdam Christifideles in Ante-  
paschali jejunio. *Decr.* 2. *Septemb.* 1727.

de Amaya Franciscus. In tres posteriores libros Codi-  
cis Imperatoris Justiniani Commentarii. Tomus I.  
*Donec corrigatur, Decr.* 18. *Decemb.* 1646.

Ambachius Melchior. 1. *Cl. Ind. Trid.*

l' Ambasciata di Romolo a' Romani. *Decr.* 30. *Junii* 1671.

Ambrosius Merlinus. *Vide* Merlinus.

Amelot de la Houffaye ( *Nicolas Abraham* ). Histoire  
du Gouvernement de Venise. ) *Decret.* 2a

— Supplement à l' Histoire du Gouverne- ) *Decemb.*  
ment de Venise. ) 1677.

— Tacite, avec des Notes Politiques, & Histori-  
ques. *Donec corrigantur. Decr.* 21. *Jan.* 1721. & 1732.

de Ameno Ludovicus Maria. *Vide* Sinistrari.

Amerpachius, seu Amerbachius Vitus. An- )  
tiparadoxa. )

— Historia de Sacerdotio Jesu Christi ex ) *Ind.*  
Suida. ) *Trid.*

— Poemata Pythagoræ, & Phocylidis cum )  
duplici interpretatione. )

Amesius Guilielmus. *Opera omnia. Dec.* 10. *Maii* 1757.

Amicus Franciscus. Cursus Theologici juxta Scholasti-  
cam hujus temporis Societatis Jesu methodum,  
Tomus V. de Jure, & Justitia. *Donec corrigatur;*  
*correctus vero juxta correctionem expressam in Decr.* 6.  
*Julii* 1655. *permittitur.*

Amlingus Wolfgangus. 1. *Cl. App. Ind. Trid.*

Ammonius Wolfgangus. 1. *Cl. App. Ind. Trid.*

de S. Amore Liberius. Epistolæ Theologicæ, in qui-  
bus varii Scholasticorum errores castigantur. *Decr.*  
3. *April.* 1685.

Amor Sacer. *Decr.* 12. *Decemb.* 1624.

de S. Amour Mr. Journal de ce qui s' est fait à Ro-  
me dans l' affaire des Cinq Propositions. *Decr.* 28.  
*Maii* 1664.

Ampelander Wolfgangus. 1. *Cl. App. Ind. Trid.*

Am

- Amplia ( Joannes ) Polonus. 1. Cl. App. Ind. Trid.  
 Amsdorffius Nicolaus. 1. Cl. Ind. Trid.  
 Amstelius Gisbertus. Expostulatio prima adversus eos, qui dicunt se de consortio Jesu esse, & non sunt, & sunt Synagoga Satanæ. Decr. 26. Octob. 1707.  
 — Expostulatio altera adversus Lojolitas, foedos Societatis Jesu desertores. Brevi Clement. XI. 4. Octob. 1707.  
 Amydenius Theodorus. Tractatus de officio, & jurisdictione Datarii, & de stylo Dataria. Decr. 10. Decemb. 1653.  
 Amyraldus Moses. Vide Syntagma Thesium.  
 Anacreonte. Vide Marchetti.  
 Analysis, resolutio Dialectica quatuor librorum Institutionum Imperialium, una cum quarundam utilium quæstionum Juris explicatione, cum præfatione Ludovici Grempe. App. Ind. Trid.  
 Ἀνάμνησις juris, quod in approbandis Pontificibus Imperatores habuerunt. App. Ind. Trid.  
 S. Anastasii Sinaitæ Anagogicarum contemplationum in Hexaëmeron liber XII., cui præmissa est Expostulario de S. Johannis Chrysofomi Epistola ad Cæsarium Monachum. Edition. Londin. 1682. Decr. 25. Jan. 1684.  
 Anastasius ( Joannes ) Veluanus. 1. Cl. Ind. Trid.  
 Anatomia. Excusa Marpurgi per Eucharium Cervicornum. Ind. Trid.  
 Anatomia Societatis Jesu, sive probatio spiritus Jesuitarum. Decr. 23. Aug. 1634.  
 Andreae Jacobus, alias Schmidlinus, Pastor Goppingensis. 1. Cl. App. Ind. Trid.  
 S. Andreae Joannes. Examen Trophæorum Congregationis prætensæ Anglicanæ Ordinis S. Benedicti. Decr. 12. Decemb. 1624.  
 Andreae Joannes Valentinus. Mythologia Christianæ, sive virtutum, & vitiorum vitæ humanæ imaginum libri tres. Decr. 4. Febr. 1627.  
 Andreas ( Valerius ) Desselius. Vide Struvius.  
 Andrews ( Lancellottus ) Cicestriensis. Tortura Torti :  
 sive

